













XVI

SALD

DE NATVRA
AQVÆ VITÆ
Libri duo

IOANNIS FRANCISCI SALDI
Genuensis Medici, ac Philosophi

AD ILL.MVM ATQVE REV.MVM D.
DOMINVM
DOMINICVM RIVAROLAM
S.R.E. CARDINALEM AMPLISS.
& Archiep. Nazarenum, & totius
Romandiolæ Legatum, &c.



GENVAE,
APVD IOSEPHVM PAVONEM. MDCXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ego Frater Guglielmus de Moniecaluo lector Theologus ordinis Prædicatorum vidi, & diligenter examinaui hunc tractatum de natura aquæ vitæ Ioannis Francisci Saldi Genuensis Medici, ac Philosophi ex commissione admodum Reuerendi Patris Inquisitoris Genuæ, nihilq; in eo reperi, quo minus ex præscripto Sacrosancti concilij Tridentini typis escludi possit.

Ita est. Frater Guglielmus, qui supra.

IMPRIMATVR.

Fr. Eliseus Masinius Inquisitor Genuæ.

Fœlix Tamburellus Vic. Generalis Archiep.

Illustriss. & Reuerendiss. D.D.

DOMINICO RIVAROLÆ

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

Archiepiscopo Nazaræno, &

Legato Roman. &c.

I. F. S. F. P.



VID, vt me tibi seruum deuoue rē, agere possē, continue animo peruoluebam, Cardinalis amplissime, id tandem paruo aliquo munusculo consequi decreui, quod si nō esset tale, vt tuæ celsitudini adæquaretur (id .n. nulla ratione fieri potest) esset tamē tale, vt tuæ naturæ cōueniens esset. cuius inuentioni dū studerē, Ill.mus Germanus tuus mihi tractatū de natura aquæ vitæ imperauit, vt tutius ea vti posses. quo audito, gaudio exilij, vt pote qui cognouerim me voti compotē factum esse. nam si aqua vitæ magnam sui partē Cœlo acceptā refert, te omnes probi iure optimo Cœlestē appellabunt, cū formales Cœlestes partes adeo potētes, et præualentes in te perspiciātur, vt terrenas,

&

& elementales ita perfectè concinnarint, & disposuerint, quòd illarũ nõ appareat ne minima quidẽ actio, quæ perfectissime, aptissimeq; ad Cœlestibus inseruiendũ tanquã ad vltimum finem non dirigatur: vnde nil probũ est, quod tu perfectissime non cognoscas, nil à te est cognitũ, ad quod exequendũ non determinetur voluntàs, ad nil ea determinatur, quod tu citissime, atq; exactissime nõ exequaris, quod omnibus mirabile redditur. eò autẽ magis te Cœlestẽ dicent, quòd à te tanquam à benigno Cœlo ita virtutum fæcũdantur Plantæ, vt ijs inualescentibus, te fautore, iã prope priuatæ alimento inarescant vitiorum radices. ex quo si Cœlestem Cœlestia decent, te optimè decebit tractatus iste. hunc igitur me seruum deuouens tibi consacro. munus, et offerentem ita certus sum te læta fronte suscepturum, sicut sum certus fore, vt Sol luceat: non est enim tibi minus propria humanitas, quam Soli lux. ipsa aquavitæ, vt existimo, vtare licet, vt S. R. E. tibi, tuisq; in quorũ numero iã à te repositum esse tua me certum facit humanitas, quàm diutissime viuas. Vale.

DE VINO LIBER PRIMVS.

Caput primum. De Vini Temperie in Genere.





CVM de natura aquæ vitæ institutum nostrum sit agere, eaq́; in vino naturaliter sit, cum ab eo extrahatur; prius propterea de vino agere decreuimus, vt ex hoc facile nobis sit cognoscere ipsam aquã vitæ, vt pote quæ ab eo segregatur. Distinguit Galenus acutorum morborum tertio vinum per quinque differentias, per colorem, nimirum, saporem, consistentiam, odorem, & virtutes: non intendo tamen has differentias percurrere: neque enim mea mens est, sicut eò loci cum Hyppocrate est mens Galeni, indagare quos diuersos effectus, quæ diuersa iuuamina, nocumentaq́;, diuersa pariant vina, sed vini indagare naturam decreui, quatenus solum ad aquæ vitæ cognitionem necessaria est. Vniuersaliter igitur loquendo, duplicem mihi videtur obtinuisse vinum temperiem, alteram ex parte materiæ, ex parte vero formæ alte-

ram. Quòd ſi quæ ex parte materiæ eſt, conſideretur, aqueum ſecundum eam à prædominio erit vinum, cum fluat non valens à calore concreſcere, & aperte etiam hoc atteſtetur Ariſtoteles meteor. quarto cont. quadrageſimo primo ita ſcribens. quæcumque igitur non incraſſantur à frigido, ſed concreſcunt, aquæ ſunt magis, vt vinum, & vrina, & acetum, & lixiuium, & ſerum; ſi tamen vinum quoddam craſſum nigrum excipiamus, quod ab hac regula remouet idem Philoſophus antecedente textu hiſce verbis. quæ autem terra temperantur, & aqua, ea iuxta vtriuſq; copiam nuncupentur, oportet: eſt enim vini genus quoddam, quod decoquitur, atque concreſcit, ceu muſtum: humor autem aqueus ab omnibus eiuſmodi, dũ inareſcunt, exire ſolitus eſt. quòd autem aqua inſit, indicium eſt; nam vapor in aquam conſiſtit, ſi quis colligere velit, quare quibuſcunq; quidpiam remanet, profecto terrenæ naturæ exiſtit, hoc autem, de quo ſermo fit, vinũ quoddam Arcadiæ eſt, tam craſſæ ſubſtantiæ, vt ad eam vi caloris conſiſtentiam deueniat, quòd gladio etiam dĩuidi poſſit, reſoluta per calorem tenui aquæ portione, à qua fluxibilitatem aliquam antea habebat: & ſi quod aliud

vinum

vinum huius naturæ datur, quod calore concrescat: quæ enim calore concrescunt, plus terræ habent, quamquam magis aquæ, quæ à calore crassantur. ex quo etiã contextu apparet vinum vniuersaliter aqueum ponere: cum enim dixisset mensuranda esse ea, quæ terra temperantur, & aqua iuxta vtriusque copiam, subiungit de illo vino in particulari, docens quòd in eo tanta portio terræ inest, vt etiam consistentiam adipiscatur; quod cum alijs vniuersaliter non insit, immo potius maxime fluxibilia appareant ad modum aquæ, certum est aquea esse, & ipsum talia existimasse. cum igitur aqueę ex parte materiæ naturæ sit ipsum vinum, materiale etiam ipsius temperamentum frigidum, & humidum esse apertum est: temperamentum enim elementũ prædominans consequitur: ex parte vero formæ vinum calidum esse tum manifeste, si potetur, in corpore sentitur; tum etiam colligitur, quòd & idem Philosophus calidum appellet, & Galenus etiam plurimis in locis caliditatem ipsi attribuat, cui consentit Hippocrates, vt patet ex ipsius verbis libro de affectionibus. quicumque, inquit, cibi, aut flatum, aut æstum, aut morsum, aut repletionem, aut tormen faciunt, à talibus liberat

berat

berat vinum meracum inſuper potatum: corpus enim è vino calefactum per calorem amouet ea, quæ inſunt, à cibis, & potibus, & ſimilibus.

Caput ſecundum, in quo proponitur problema, & communis expoſitionis impugnatio.



T autem maxime hæc temperierum diuerſitas in vino eluceſcat, Ariſtotelis quædam perpendenda eſſe dicta exiſtimaui. tertia igitur ſectione problemate primo cauſam quærit, cur ebrij, calido exiſtente vino, facile rigeant, facilimeq́; pleuritide, cæteriſq; huiuſcemodi vitijs corrigantur. an reſpondẽs ait, quia multum humoris, ſi refrigeretur, multum frigidum fit, ita vt dominetur calori naturali: fit enim ſimile, vt ſi veſtis madefacta fuerit humido frigido, ita caro interius. quid in expoſitione dictum ſit, non me latet, exponunt enim per Galeni dictum tertio de temperamentis, nutrimentum eſt, & quod nutrit, & quod veluti nutrimentum eſt, & quod futurum nutrimentum eſt (ita ſcribit Hipp. libro de alimento circa principium) quod vtique iam nutrit, habet Galenus, atq; adiungitur,

gitur, neque amplius futurum eſt, id proprie nutrimétum appellatur, idem vero et corpus, quod nutrit, omnino excalefacit, quod reliquorum neutrum facit, quòd ſcilicet proprie nutrimenta non ſint, ſed alterum eorum veluti nutrimentum, alterum tale futurum. proinde nec vinum ipſum ſemper Animal calefacit, æque vt nec oleum ſemper flammam accendit, tamen etſi aptiſſimum eſt ignis nutrimentum, immo ſi imbecillæ, & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſuſq; extingues, potius quam augebis. ſic igitur & vinum vbi plus bibitur, quàm vinci poſſit, tantum abeſt, vt Animal calefaciat, vt etiã frigidiora vitia gignat: apoplexiæ, .n. & paraplesiæ, & q̃ græce comata vocamus, & neruorũ reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones, & tetani immodicũ vini potũ comitantur. quorũ vnumquodq; frigidum eſt: generatim enim quæcumq; aſſumpta in corpus vt nutrimentum, calefaciunt, hæc interim frigefacere contendas, æq; ſcilicet, vt flammam ab eadem materia non augeri modo, verum etiam aliquando extingui. Hęc tamen gloſſa ſi mẽtem Ariſtotelis aperiat, verbiſq; quadret ſemper mihi ſuſpectum fuit: aliud enim eſt, quòd non

triat aliquod, & sic non calefaciat. aliud quòd humidum vini frigidum reddatur; qui enim calor ex nutritione subsequitur, hoc ideo fit, quia innatum calidum inde restauratur, spiritusq; regenerantur, & sic quod nutriens est, quamquam frigidum natura sit, quatenus nutrit, calefacit; vnde & lactuca quatenus nutrimentum etiam calefacere dicetur. non secus, ac si in magnum ignem terræ portionẽ inijceret quis, illa terra calefacere diceretur, quatenus ignis pabulum fieret. vnde grassantem ignem qui extinguere student, hinc inde muros diripiunt, omnemq; auferunt materiã, vt, vnde nutriatur, omnino non habeat. & sic quod immediate nutrimẽtum est, & proprie, id solum calefacere dicitur. quòd autem frigidum reddatur, hoc aliud est: neque enim scammoneam quis nutrire dicet, quam tamen nemo sanę mentis frigidam in corpore euadere, aut frigefacere affirmabit. omnia purgantia calida ab omnibus statuuntur. venena non deesse, quę nimio calore interficiunt, constat. quòd si quis diceret hęc medicamenta esse, non nutrimenta. adhuc cum Aristotele insto: sectione enim prima problemate quadragesimo tertio ponens differentiam inter medicamentum, & nutrimẽtum eam statuit,

tuit, quòd nutrimentum à natura reuincitur, medicamentum vero reuinci non poteſt. & ſic oleum, mel, & lac, cęteroſque cibos aliquando purgandi vi prædítos eſſe habet, ſi immoderata copia aſſumātur: quoniam quāquam excedentem qualitatem immenſe non habeant, ob quantitatem tamen digeri non poſſunt, nec vinci. ex quo patet, quod ea, quę non reuincuntur, ſuis qualitatibus agunt, & eatenus medicamenta appellari poſſunt: quāquam medicamentum proprie illud dicatur, quod qualitate vinci non poteſt, & nō quantitate: ratio tamen, ob quam in corpora agit, eſt, quoniam non vincitur. vnde medici leue aliquod medicamen exhibētes, cito & nutrimentum afferunt, ne à natura reuictum vires proprias depromere valeat. præterea humores febres accendentes, cum non immediate nutriant, calefaciunt tamen. Galenus partes ſanguine redundantes calidas ſtatuit, vt pote quæ à ſanguinis calore calefiunt, quæ tamen caliditas à ſanguine ſecundum Galenum eò quòd nutriat, non prouenit: neque enim id nutrimentum, quod iam immediate nutriat, atque adiungatur, quod ſolum calefacere dixerat, ſanguis eſt. ſed vt de eodem vino ſermonem faciam, cum non reuincitur, tantum

calefa-

calefacere dicit Aristoteles problemate quinto tertiæ sectionis, vt calorem innatum extinguat, sicuti maior extinguit minorem, & sicut multus calor pauciori nutrimentum assumit, non repugnante Gáleno. illud itaque Galeni dictum intelligendum est de calore ex nutritione subsequenti, ita vt, quæ exhibentur, vt nutriant, si non nutriunt, refrigerent, quatenus & calidum innatum non restaurant, & sua copia ipsum obgrauant, quamquam propria caliditate calefacere possint, & nõ quòd omne, quod non nutrit, frigidus reddatur humor: inter caussas enim febrium procatarticas enumerantur calida cibaria, quæ tamen accẽdere febrem non possunt, quatenus & à natura reuincuntur, & nutriunt: sed quoniam in calidos degenerãt humores. nec huic sententiæ repugnat Princeps Auicenna, dum calidorum, frigidorumq; humorum caussam non tantũ caliditati, frigiditatiue assumptorum, siue caliditati, frigiditatiue diuersarum portionum eiusdem nutrimenti adscribit; sed quòd etiam calidum, frigidumq; sit hepar: actionem enim ille considerauit, quam cum ex proportione agentis cum passo resultare cognouerit, videritq; modò hepar respectu calidioris alicuius nutrimenti, siue respectu

cali-

caliodioris alimenti portionis habere rationē calidi; modò autem respectu frigidioris habere rationem frigidi, frigidum ex hoc idem calidumq; hepar esse, dixisse videtur: sicuti dici vulgariter solet, fornacē, quę lateres coquere debet, si coquere non possit, frigidam esse, quæ vero panem concoquit, calidam; si ambarum tamen comparetur calor, erit certe illius, quæ frigida appellabatur, maior, quàm sit illius, quæ dicebatur calida; vnde si in eadem fornace, & lateres, & panis coqui deberent, eadem cum lateres non posset concoquere, frigida diceretur, quæ tamen cum panem adureret, ardentissima merito etiam vocaretur. cum itaq; voluerit Galenus hoc denotare, ob copiam scilicet grauantem fieri, vt infrigident, exemplum olei dedit: sicut enim non liceret arguere alicui, quòd oleū sit frigidum, quoniā sua copia non solum ignem non nutriat, sed etiam ipsum extinguat, aut quòd cum calidum esset, reddatur illud oleum frigidum; sic nec de vino possumus arguere, quòd etiam si copia non solum calorem naturalem non nutriat, sed ipsum obruat, & sic refrigeret, propterea tamen ex hoc humidum vini frigidum esse, aut ex calido factum esse frigidum. Hæc & expositio afferri potest per

aliud exemplum: ſicut enim optimorum, & etiam calidorum ciborum immoderata copia, qui præ quantitate digeri, vincique non poſſint, corpus multis, frigidiſque replebit humoribus, ſic & etiam multa vini quantitas ſi non ſuperetur, & in nutrimentum aſſumatur, in crudos, frigidoſque degenerat humores. hoc autem pro vero dato, quòd ſcilicet cum prima forma corrumpitur nutrimenti videlicet, ſi non à calore naturali perfecte terminari, digeriq; materia poſſit, ita quòd bona celebretur chyloſis, generentur inde multi crudi, frigidique humores: hoc tamen ſequitur, quòd dum coquuntur, & excitantur vires, ſeu qualitates nutrimenti, in ipſa coctione vt ſecundum eas operentur, ſicut efficiunt medicamenta: poſtquam vero domitæ ipſius facultates ſunt, tunc operantur, pro vt reuicti ſunt, ita vt, ſi imperfecta facta fuerit coctio, remaneãt crudi, & ex hoc frigidi humores, iam corrupta antecedenti forma, & mutata mixtionis proportione, ita vt cruditatis, & inde frigiditatis perſentiantur effectus, poſt celebratam nutrimenti permutationem. in vino autem nõ ſequitur ad mentem Ariſtotelis in hoc problemate; nam dum apparent vini effectus, iſtæ frigiditates fiunt;

inquit

inquit enim, cur ebrij, & in ſexto problemate habet, cur temulenti facile rigeant: quãquam enim exponatur quòd pro nomine ebrij melius fuiſſet vocabulũ vinolenti, vt pote quòd non ſolum actu ebrios, ſed etiam eos, qui vino delectantur, & eo ſæpe olent, ſignificet, ſufficit tamen mihi, quòd hoc etiam actu ebrijs contingat, quod manifeſte indicat antiqua translatio in ſexto: legit enim inebriati; ſi autẽ ebrietas eſt, vinum non pro vt reuictum eſt, ſed ſecundum proprias vires operatur. præterea dicit Ariſtoteles, ſi refrigeretur, & non dicit, ſi non coquatur, ita vt videatur loqui de vini eodem humido, quod, cum calidum eſſet, frigefactum ſit, & non de humido, quod ex imperfecta ipſius coctione fit, & ſic in ſexto dicit, quare aſſumptis frigidis humidis, clare aperiens, quòd aſſumptum vinum ſuapte natura frigidum, & humidum ſit. nec dicerem ego, quòd actu ſit frigidum, etiam ſi potentia calidum, quæ tamen potentialis virtus excitari non poteſt: hoc enim præter quam quòd naturæ vires nimium imminuit, nõ poteſt quadrare textui, quandoquidem dicit, cur ebrij: inebriare autem eſt actio vini non ab actuali frigiditate, ſed à potentiali calore proueniẽs. addo, quòd habet, ſi refrigeretur, quòd

ſi

ſi de actuali frigore ſermo fiat, non eſt, cur dicat, cum frigidum ſit. non ſilentio tranſibo, quòd exemplum cibariorum cum vino non eſt adæquatum: generant enim cibaria chylũ, qui imperfecte coctus pituita eſt, quãdoquidem quæ in ventriculo generatur pituita, ſi magis coquatur, nutrit, chylus facta: vinum vero cum paucam chyli copiam gignat, ſi tamen gignit, & hoc dico de mente Mercurialis (exiſtimauit enim non alere vinum) propterea paucam etiam pro ſua natura poterit ſua ſubſtatantia pituitæ copiam generare, ſed potius, vt potus, aquoſitatem gignet.

Caput tertium, in quo propria affertur expoſitio, ex qua ducitur intentio.



VM igitur per Galeni dicta non nobis aperiatur ſenſus huius Problematis, contemplemur, oportet, quomodo idem vinum refrigerari poſſit, quod prius erat calidum. refrigeratur autem, ſi propriam amittat formã, eam autem amittit per actiuitatem caloris naturalis, qui dum formã ſegregat, ſiue formalem calorem vini, derelinquit illam humiditatis copiam in temperamento eius naturali, ſiue quod ſequi-

tur

tur elementum prædominans in ea mixtione, quod frigidum eſt: hinc ſit, quòd multum illud humidum refrigeretur, & ſic multum frigidum fiat, ita vt calorem naturalem euincat. audiamus quid ſubiungat ſexto problemate. omnia, inquit, enim humidiora calidiora ſunt natura, ſiue, vt legit Gaza, naturæ calidiora occurrunt. ſignũ, quòd caleſcimus quidem rebus externis, non autem humeſcimus. quæ verba quòd ſubdat, vt probet frigiditatem eſſe illi humori connaturalem, ſatis conſtat ex concluſione problematis: concludit enim quare aſſumptis frigidis humidis, de vino loquens. hoc autem idem aperte demonſtrat apparens contrarietas in textu: habet enim omnia humidiora naturæ calidiora occurrere, & deinde ſubdit, quòd ſi minus ſint calida, quòd manifeſte oſtendit de aerea humiditate prius loqui, cum qua naturaliter eſt coniunctus calor, & naturaliter ipſius pabulum fit. hæc autem humidiora dicit, quoniam aerea humiditas maior aquea eſt. hæc igitur præter naturalem illi coniunctum calorem fouens, & nutriens extraneum, cum quo coniungitur, cum talis ſit ipſius in mixtione vſus, fit, vt naturæ calidior occurrat. ſignũ, quòd caleſcimus rebus externis, non humeſcimus:

id quod contingit, quoniam præter quam quòd à calore nostro illorum calor excitatur, vnde calefaciunt, eorum humiditas nutriens ipsum innatum calidum, ab eo assumitur; ex quo calescimus, vigorato calore ex pabulo, non autem humescimus, dissipata eorum humiditate, istis extrinsecis: sic enim aer degenerat cum tenuiori portione alimenti, siue sanguinis in spiritus, ex quo calefacit, nec humectat, & sic, teste Galeno, oleum lassitudines curat, quas curat labor, vt dicitur, labor laborem tollit, quæ ab ipso non curarentur, nisi calefaceret, & non humectaret, quoniã ab humiditate ipsę lassitudines fiunt; quę .n. nutrit calorem humiditas, nõ humectare dicitur, cum per accidens exsiccet, & hac ratione, præter quam quòd etiam si aqua minus humida sit, potentior tamen in humectatione est ipso aere, teste Auerroe cõmentu decimo quinto in cantica canticorum Auicennæ, non solum nõ relaxat, qui humiditatis effectus esse videtur, hęc aerea humiditas, sed & etiam aliquantulum corroborat, hoc aperte docente Galeno de althea, quam aliqua corroborandi vi non carere dixit, quæ tamen vt omnibus in confesso est, maxima aerea scatet humiditate. cũ igitur quomodo naturæ occurrat, hic doceat

Aristo-

Aristoteles, siue per se, siue per accidēs, vt patet ex textu, in quo non scribitur, naturaliter calidiora sunt, merito dixit, naturæ calidiora occurrunt; & hoc est, quod, ni fallor, difficultatem expositoribus peperit. nam aliud est, quòd ea, quæ humidiora sunt, magis calida natura sint, aliud est, quòd nutriendo calorem naturæ calidiora occurrant: sic enim accenso lychno oleum calidius occurrit, quàm humidius, neque tamen sua natura tale est. vnde quæ proprie humida naturę occurrunt, aquea sunt: sic enim voluit Hippocrates, dum febricitantibus omnibus victum humidum conuenire dicebat, & Aristoteles, dum morbos ab igne curare rorē scripsit prima sectione Problematum. nam aerea magis fouent, & ipsum nutriunt, vnde calidiora occurrunt, & calescimus, non humescimus; sed potius tracta illa humiditate in nutrimentum caloris, inde adauctus calor aqueam humiditatem magis dissoluit, & sic exsiccat. vnde si madefiat lychnum accēsum aqua, & imponatur oleum, exsiccabitur ab adaucto calore aquea illa humiditas. quę autem aquea humiditate humida sunt, naturaliter sibi associant frigiditatem; quale est vinum: quæ enim caliditas illi est, ea omnino extrinseca est, & extra mixtionē;

&

& propterea amittitur. vnde bene ſequitur concluſio, quare, aſſumptis frigidis humidis, naturaliter tali exiſtente vino; neque enim inter ea, quæ humidiora ſunt, vinum eſt, cum non aerea, ſed aquea ſit ipſius humiditas, ſiue ſecundum translationem Gazæ, frigido remanente humore, amiſſa ſcilicet illa caliditate, quæ extrinſeca erat, merito rigeſcunt magis ebrij, & rigoris proprias patiuntur notas, frigido occurrente naturæ illo humore; vt pote qui aqueus eſt. nec aliter poteſt duci iſta concluſio; & ſic ex toto iſto contextu patet eſſe eandem vini humiditatem, quæ frigida redditur, ſicut ſupra diximus: ſi enim eſſet, quoniam nõ digeſta materia in crudos, & propterea frigidos verteretur humores, hoc idem fieret in humido, in quo ineſt etiam caliditas, ſi non digeratur. vnde conſtat manifeſte loqui de eodem humido, & ſic amittit, inquit, ſcilicet illud idem humidum calorem, eo, quem diximus modo,

Caput quartum, in quo idem probatur ex alijs locis.



EC minus ex quinto hanc obſeruare eſt temperiei diuerſitatem: quęrit enim cur temulenti tremunt, & eò magis,

magis, quò liberalius vinum aſſumunt, ita vt aliquibus, qui pro nutrimento vino vtebãtur, tantus prouenerit tremor, vt præmentes etiam reijcerent, nec aquæ calidæ calorem ab ipſa madefacti ſentirent. cum dixerit tremorem à frigiditate oriri, frigoris cauſam calori vini attribuit, qui innatum calorem corpori ſe permiſcens extinguit, pabulumque illi aſſumit. ſubiungit autem, fit, vt alios ex his aqua intercus præmat, alios fluxio, alios alia deiectio, & pleraque alia vitia eiuſdem alui exerceant: nam & reliqui humores, reddens rationem ait, acerbi, inneptique remanent, & qui liquidi extrinſecus aduenerunt, craſſari ob imbecilitatem caloris proprij nequeunt: iſti autẽ humores alij certe eſſe non poſſunt, niſi ipſamet vini humiditas: cum enim ſupra dixerit hæc accidentia prouenire illis, qui vinum vt nutrimentum aſſumunt, certum profecto eſt, quòd iſtis nil aliud liquidũ extrinſecus corpori aduenit, quàm ipſamet vini humiditas. vnde hęc remanens deſtituta formali caliditate, à qua diſiuncta valde debilitatus fuit innatus calor, talia inconuenientia parit, quæ à frigidis, humidiſque proueniunt humoribus, tali exiſtente ipſa ob aquei elementi prædominiũ, quæ cum in ventre inferiori re-

maneat, bene dixit, & pleraque alia vitia eiuſdem alui exerceant, & idcirco ſtatim ſextũ, in quo docet hos effectus poſſe parere talem humiditatem, vt pote quæ calore deſtituatur, & ſic frigida, humidaque remaneat, ſubdit. Ad hoc idem demonſtrandum non parum apud me valet tertium problema, in quo quęritur, cur magis crapulam ſentiant, qui dilutiuſcule bibunt, quàm qui merum ex toto. ad hæc cum duobus modis reſpõdiſſet, tertio ſic etiam reſpondet. merũ vt cætera cõquoquit, quia calidius eſt, ita ſe ipſum cõſumit: diluto autẽ illo, cõtrariò agitur. exponitur ab aliquibus, quòd cum calorem innatũ roboret, fit vt digeratur ab ipſo deinde roborato aliquid reſiduũ quod ebrietatem parere poterat. hęc expoſitio, præterquàm quòd Ariſtoteles habet, ſe ipſum cõſumit, quæ verba indicant de eodẽ vino, non de calore naturali agere, patitur hanc difficultatem, quòd quęſtionem nõ ſoluat: dum enim dicimus, roboratus calor innatus, præſuponimus digeſtionem; neque enim niſi quod coctum eſt, & in propriam ſubſtantiam verſum, ipſum roborare poteſt: hoc autem eſt, quod quærebatur. dicere vero corroborari ab aliqua iam digeſta parte, & ex hoc fieri validum ad coquendum id, quod re-

ſiduum

siduum est, adhuc dubium non tollit: quamdoquidem si digessit illud prius, cũ tota vini quantitas aderat, quę resistebat, cum multum sit validum, nõ est, quòd ad minus, quod debilius est, coquendum indigeat robore: vnde non debet Aristoteles sic facile eam digestionem, victoriamque, quæ magis ambigua est, præsuponere. dicamus ergo vinum se ipsum dissoluere, quoniã partes formales calore naturali excitatæ suomet calore propriam dissoluunt materiam, quod non possunt efficere dum dilutum vinũ est præ multitudine, nam de cætero respectu facultatis ipsius vini facilius dilutum digeritur, quàm merum, etiam si respectu corpulentiæ, quæ magis humida sunt, tardius coquantur, vt Aristoteles docet problemate decimo quarto. Si autẽ vis videre calorem vini dissipantem, coquentemque propriam materiam, videas decimum tertium problema, quã ob causam vinum dulce, cum aptum sit fluitare, si quis temulentus vinum dulce superadmisit, haustũ vinũ conquoquitur, minusque infestat. huius effectus, respõdens, caussam, lenitati, lentorique vini dulcis attribuit, ratione quorum infarcit meatus, & ipsũ non euaporans impedit, quo minus aliud euaporet: contra austerum, cum exasperans,

rigi-

rigidumque ſit, inferiores, per quas tranſire debet, partes vniendo, caput ipſum petit. & hæc eſt doctrina Hippocratis de ratione victus in morbis acutis. quamquam vere hic intelligere principaliter poſſit, minus inebriare vinum, ſuperbibito vino dulci: ſubiungit enim vinolétiam vero parte ſuperna cõcalefacta oriri dictũ iam eſt. inquit tamen, conquoquitur, & minus infeſtat, intelligens etiam ex hoc, quòd, præterquam ſua formalitas caput nõ petens non inebriat, ipſius etiã materia digeratur, & etiã ipſa minus infeſtet, ꝙ præſtat vinũ dulce, quatenus impediens, ne ad caput aſcẽdat vini caliditas, intercludit ipſam, quæ deinde propriã ipſius vini humiditatẽ digerit, quæ difficilis coctionis eſt: humida enim omnia difficillima coctu ſunt ex eodem Ariſtotele ſequenti problemate ſupra citato. quam intentionem Ariſtotelis fuiſſe etiam ex hoc apparet, quòd vinum dulce ebrietatem ſolũ tollere in antecedenti ſatis dixerat.

Caput quintum, in quo ex eodem Ariſtotele idem elicitur.



NON certe poterat hanc propoſitam ipſius ſententiam magis clare aperire Philoſophus, eò quòd aperuit pro-

problemate eiusdẽ sectionis vigesimo quarto; indagat enim causam cur vinolentis somnus oriri non potest. somnum ab humiditate calida causari habet, quæ etiam ipsi 1s sententia fuit libello de somno, & vigilia; vnde si deest hæc humiditas, aut concoctu difficilis inest, somnus non oritur. sic post assumptũ cibũ ob calorem vapores dulces eleuãtem somnus obrepere solet: melancholicos vero, & vehemẽter extuantes insomnia tenent, alteros, quia refrigeratus humor est, alteros, quia minimus, aut nullus est. ergo, iam ex istis respondens quæstioni subdit, rationem vtriusque effectus inde esse petendã palam est. cũ itaque duplicem insomnij caussam proponat, quarum vna nimia frigida materia, quæ difficilis digestionis est, dicitur, vt in melancholicis; altera vero nimia siccitas, vt in vehementer ęstuantibus apparet, rationem vtriusque effectus, tum scilicet humiditatis maximæ, tũ siccitatis, à quibus vtrisq; insomnia fiunt, causam inde videlicet à vino petẽdam esse palam est, quod fieri non potest, nisi sit diuersitas, neque enim vnum, & idem humectabit, & exsiccabit eodem tempore idem corpus. calore suo igitur formali exsiccat digestos, benignosque humores, sic enim, vt supra vidi-

 mus

mus, dixerat, calorem innatum reuincere, ipsi proprium pabulum depopulari, partes superiores cõcalefacere: materialis vero ipsius humiditas ea est, quę difficulter frigida, & aquea vt in melancholicis existens, digeri potest, quæ præter supradictos effectus semen infœcundum reddit, vt problemate quarto habetur, quã digerere optante natura, fit, vt ebrij, sicut illi, qui degunt in aquis, sole tepido gaudeant, vt in trigesimo primo problemate scribitur, quæ, si, ne euaporet, supernas petens partes, detinetur formalis calor, ab ipso euincitur, digeritur, & dissipatur, quæ vinolentis linguam adeo imbibit, vt loquendo oberrẽt, quę adeo corpora replet, vt non possit exprimere lingua, sicut non potest, dum intra aquã sunt, ob aeris deffectum in nimio humore se se inuoluens, vt proponitur problemate trigesimo.

Caput sextum, in quo ex primo problemate trigesimæ sectionis eadem doctrina probatur.


ED vt hanc Aristotelis sententiã fuisse, luce clarius elucescat, trigesimæ sectionis primum problema videndum est. quærit in

co,

eo, cur ſapientes in quocumque diſciplinæ genere fuerint melancholici, & aliqui ad eum peruenerint exceſſum, vt bilis atræ etiam vitijs infeſtarētur, ſicut de Hercule inter heroas fertur. hanc ſoluit quæſtionem exemplo vini, quod aptiſſimum eſſe teſtatur; vinum, igitur inquit, varios, prout diuerſimode bibitur, parit effectus, vbi enim frigentem adinuenerit hominem, taciturnumque, liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu verborum vberem, fidentemque reddit, poſt hac proceſſu potandi ampliori, audacē, propenſumque facit ad agendum, deinde plenius amplificato, in cōtumeliam, & petulantiam vertit, mox propemodum ad inſaniam accendit, poſtremo nimio ex potu reſoluit, ſtultumque agit in modum eorum, qui à pueris morbo comitiali laborant, aut etiam corū, qui vitijs atræ bilis maiorem in modum laborant. formalis igitur vini caliditas dum frigētes calefacit homines, eos ipſos refouet, & excitat, quod liberalius aſſumptum, cum magis adhuc calefaciat, iam eloquentes, fidenteſque reddit; multitudo enim verborum à partium calore prouenit, ſicut taciturnitas à frigiditate, & ſic in animalibus cantum ab eodem calore cauſari proſpicimus; aues enim tempore

veris

veris ex turgenti ſemine incaleſcẽtes, canunt, iuuenes item magis, quàm ſenes hac eadem ratione, quòd calidiores, magis eloquũtur, & canunt ſenibus, qua eadẽ ratione non deſunt, qui dicãt, morientem Cygnũ canere propter calorem videlicet naturalem, qui naturali extinctioni vicinus concẽtratus, reſiduum primigenium humidum accendit, ſicut fit, in candela, quæ ob defectum pabuli extinctioni vicina ſit, & ſicut innuit Ariſtoteles de longitudine, & breuitate vitæ, contingere ijs, qui naturali morte pereunt: quo loco Sueſſanus affert cuiuſdam mulieris valde ſenis exemplum, quæ prope mortem exiſtens, videbatur magis læta, viuaxque facta, & vt hac ratione à vino concalefactus, cum frigidæ naturæ eſſet, viuacior redderetur Dantes, cyatum vino græco plenum ebibere ſingulo quoque mane ſolitum fuiſſe aiunt, & dum apud Sũmum Pontificem pro Republica Florentina orare debuit, duo epotaſſe eiuſdem amplitudinis pocula, cuius antea vnico tantum erat contentus, & magna, incredibilique eloquentiæ vi oraſſe habetur; itaut quicquid orarit, exorarit, & ex hoc etiam illud vulgatum carmen. fœcundi calices quẽ non fecere diſertũ. quòd ſi maior adhuc aſſumatur copia, non ſolum

loquen-

loquendi promptitudinem, ſed & fiduciam, & ad agendum propenſitatem facit; calorem enim hoc vtrumque præſtare, ſatis ex hoc videre eſt, quòd & iuuenes, & qui calore innato abundant, magis confidunt, ad agendumque prompti, & propenſi ſunt; contra verò, & ſenes, & qui naturali calore carent, magis quàm par eſt, deſperent, & ad actionem pigri, impotenteſque ſint: ſi autem adhuc vini copia adaugeatur, immoderate agens in petulantiam, contumeliamque ducit, quòd ſi vlterius addatur, iam nimium accendens ad inſaniam vſque deducit; poſtremo iam, inquit, reſoluit; calorem ſcilicet innatum iam reuincens, ipſius non paruam iacturam facit, & ſic diſſoluit, ſtultumque agit ad modum eorum, qui à pueritia comitiali morbo laborant; iſti vero ſtupidi, ſtolidiq; ſunt ob multam calidum innatum obruentem humiditatem, ſicut etiam ij, qui maiorem in modum atræ bilis vitijs laborãt, nam & nimia in ipſis ſupprimens caliditatem frigida humiditas ipſos ſtupidos reddit. Hoc autem etiam præſtat vinum; nam præterea quòd ſua immoderata caliditas, cum vinci omnino non poſſit, excitata innatum calidum ſuperat, ex quo valde debilitatur, & imminuitur ipſe

calor innatus, vt diximus, fit etiam, quòd relinquatur illa multa aquea materialis humiditas, quæ iam à formali eiusdem vini calore debilitatum, imminutumque calidum innatum suffocat, atque supprimit, & sic eadem etiam illa ratione, qua & pueri comitiali morbo laborantes, & ij, qui atræ bilis vitijs maiorem in modum laborant, redduntur stulti. Hanc humiditatem docet, comparationem efficiens Aristot. sic, naturæ atræ bilis datum est, inquit, flatuosam esse, id quod & vino contingit, & ne quis credat atram bilem sua substantia flatuosam esse, vinum autem facultate, quòd scilicet calefaciendo possit ab humoribus in corpore existentibus flatus excitare, hoc remouens ostendit propria substantia vinum flatuosum esse sic: constat vinum eam habere vim à spuma, quam excitat; oleum enim, quamuis calidum nihil spumat, vinum large, ampliusque quod nigrum est, quàm quod album, quia calidius, & corpulentius est, ex quibus manifeste patet, illud etiam propria substantia flatuosum ponere; spumosum enim sua natura est, & spuma à flatu, siue aere intercluso fit, ex quo etiam aqueum; si enim caloris solum esset flatuosum esse, & oleum, cum calidum sit, & cum

calescat,

calescat, tale esset: sed quoniam in flatus vertitur solum aquea humiditas, vt dixerat metheor: quarto. oleum, eò loci dicebat, non potest omnino indurari, quoniam aerea non euaporant, id quod & ab Hippocrat. dicitur, si quis oleum, & aquã, inquit, simul permixta igni apponat, aqua multa dissipabitur paululũ imminuto oleo; hinc est, quòd neq; flatus, neque spumam reddere potest oleum; vinum autem, quia calidum est, ex parte tamen materiæ humidum aqueum, potest sua caliditate ex illa humiditate flatuum copiam excitare, hinc spumescere; hac etiam ratione, cum hi aquei vapores ad caput à vino elleuentur, lachrymas mouent: notandum vero, quod de vino nigro dicitur; neque enim verum est, quòd ex parte materiæ magis flatuosum sit, quandoquidẽ tale est, quod magis aqueum est, magis autẽ aqueum est, quod & tenuius, & flaxibilius est; ex parte tamen formæ maiores procreat flatus, hinc magis propriam humiditatem, calefaciendo, potest in flatus vertere, qui quidem flatus, qui ex hac materia elleuantur, crassiores sunt ijs, qui à vino tenui fiunt, quapropter contingit, ex parte etiam materiæ videri crassum vinũ magis flatuosum ipso tenui, quoniã scilicet, quæ

mouetur

mouetur in vino crasso materia, propter ipsi⁹ crassitiem dissipari minime potest, sed tota in crassos, apparentesque vapores vertitur, quod in tenuibus minime contingit; vnde bene dixit, magis spumosum esse; non enim ad excitandam spumam solũ necesse est gigni flatus, sed & etiam in aliqua materia includi, & detineri; sic enim spuma fit: hinc vinum tenue, sicut etiam alia aquea tenuia si igni apponantur, & calescant, non tantam spumositatem reddent, sicut ea, quæ crassiora sunt, quoniam, & qui à tenuibus elleuantur flatus, tenues sunt, hinc retentu difficiles, & quæ etiam ipsos intercludere debet materia ob tenuitatem non potest, ex quo aqua dulcis nũquam tantam concipiet spumam, quantam salsa, & quæ in dulci concipitur, numquã tantum duratura erit, quantum, quæ in salsa.

Caput septimum, in quo ex eodem problemate idem depromitur.



VIdeamus autem ex hoc aptissimo exemplo vini hanc diuersam temperiem; si enim consideremus atram bilem, natura omnino frigida est, ipso ita docente Aristot. atra autẽ bilis non per summa,

ma, ſed natura frigida penitus omnino ita ſe habet, vt dictum iam eſt, dixit autem (non per ſumma) tum vt denotaret, non tantum in ſummis partibus frigidam eſſe, ſed naturaliter talem, tum etiam vt oſtenderet in ipſis eſſe poſſe acquiſititiũ accidentalem calorem, non tamen naturalem, vt in aqua, cui eam comparat; quæ autem ſit illi naturalis frigiditas, habetur in inferioribus, dum inquit, quippe qui alias frigidus, de humore atrabilario dicens, in modum aquæ, alias calidus ſit, quę doctrina desũpta eſt ab Hippocrate, qui melancholiam aquã appellat, quod experientia comprobatum eſt; melancholicorum enim ſanguinem valde aquoſum eſſe cõtinuo obſeruatur. notanda eſt vis in verbis; habet enim, penitus frigida eſt, contingit autem, quòd accidentali, & extraneo calore calidiſſima reddatur, ſicut ſuperioribus verbis patet, dum habet, atra autem bilis, & calidiſſima, & frigidiſsima reddi poteſt, pati namque iſthæc ambo eadem aptiſima eſt ſuapte natura, vt etiam aqua, tamen etſi frigida eſt, tamen ſi ſatis concalefacta eſt, veluti quæ feruet, calidior, quam flamma ipſa ſentitur, & ferrum quoque, & lapis ignita carbone calidiora euadunt, quę quidem natura frigida eſſe nulli du-

H bium

bium est. breuiter hinc colligere datur, medicum cogi eidem morbo mederi, modo per calida, modo per frigida (eundem morbum nunc appello, qui ab vno, eodemque humore fit;) cum enim natura penitus frigidus aliquando humor sit, vt bilis atra, calida adhibere remedia oportet, quòd si accidentaliter incalescat, vt persępe contingit, sumpta ab illo accidentali calore indicatione, frigefaciẽdum est, quousque illo deficiente rursus humoris naturã oppugnare possimus: dedit autem exemplũ Aristot. de aqua respectu flammæ, & de lapide, ac ferro respectu carbonum, forsan, vt non solum probaret calorem posse impartiri frigidis, & in materia magis crassa magis actiuum esse, sed vt etiam ex istis exemplis nobis denotaret in melancholicis hęc duo segregata apparere, sicut ostendit experientia, eodẽ modo, quo in vua vinacea ab humore disiuncta, segregataque cernuntur: si igitur, inquit, modum excedit, attonitum, aut torquentem, aut anxium, aut formidolosum reddit, sed si admodum incalescit, securitatem animi, cantilenasque parit, & mentis alienationem, & vlcerum eructiones, & alia eiusdem generis pleraque. si igitur habitu naturali reuincat (nam si ex victus ratione fiat, mo-

res

res non immutat, & morbos melancholicos illis parit) humor iste, prout diuersimode circa qualitates se habet, diuersa etiam parit morum genera; nam in quibus multa, & frigida bilis atra est, ij stolidi, ignarique sunt, in quibus per multa, & calida, ij persciti, & ingeniosi, amasij, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores: aliquando etiam dum calor ille sedi mẽtis in vicino est lymphatico instinctu multos inferuere habet, vnde & Virgilius, Cumanam (dum de AEnea loqueretur) incaluisse scribit, ad cuius imitationem Tatius, venerabilem Petrum (dum Rinaldi Estensis laudes enumerat) incalescentem quoque describit; si autem iusto frigidior sit, timidum reddet, cum formidolosum quicquam denunciatum est: si vero amplius caleat, metus ab aliqua formidolosa re nunciata ducet ad mediocritatẽ, temperabit, intrepidumque hominem proinde seruabit, & infra. nam si vltra modum frigidus est, molestiæ, anxietates sponte sine vlla ratione nascũtur, ex quo laqueo sibi mortem consciscunt, maxime iuniores quidem, interdum vero seniores, quas similes passiones legere est apud Hippocr. de Virgin. morbis à sanguine menstruo, dum fluens vteri os

clau-

clauſum adinuenerit, & præ multitudine reſilit ad cor. ſicut igitur iſta atra bilis natura ſua frigida, & humida eſt, accidentaliter vero calida fit, & ex hoc calefacit, ſic & vinũ materialiter frigidum, formaliter vero calidũ eſt; obſeruare autem hoc diſcrimen oportet, quòd vinum toto problemate calidum appellat, quoniam hoc habet à propria forma; atrã vero bilem frigidam dicit, quoniam, quem obtinet calorem, omnino extraneum adipiſcitur, ſicut igitur atra bilis, dum calore agit, ſupradictos parit effectus, ita & etiam vinum; ſi enim obſeruaueris, ijdem omnino ſunt; ſupra enim eloquentem, verboſum, ad agendũ promptum, contumelioſum, vt vidimus, præſtat vinum, & vſque ad inſaniam accendit, hęc omnia de atra bile repetita vides, loco autem inſaniæ, quam accendit vinum, fiunt ab atra bile morbi veſaniæ; furor autem ille ſupradictus lymphaticus in melancholicis à calore fit, quoniam humor iſte naturalis eſt, ex quo ſi naturæ leges omnino non excedat, vt in maniacis contingit, inſaniam non cauſat, ſiue maniam, ſed illum lymphaticum furorem ab illo calore in humore naturali corpori fundato, incalefacta ipſa ſede mẽtis, qui quidem humor, ſi naturalis non ſit, hoc præſtare

non

non ualet. vnde bene habet, cum ſcilicet id non morbo, ſed narurali temperie accidit: enumerat enim,. & conſiderat, quos parere poſsit mores atra bilis, dum naturali habitu corpori exiſtit, & non, dum præter naturam. ſi autem modum excedat, attonitos ſtupidos reddere vinum dicit; id quod etiam ab atra bile contingit, immo clare dixit fieri à vino attonitos ad modum laborantium plurimum vitijs atræ bilis: ſic etiam ſupra ambo flatuoſa eſſe, ambo lacrymabundos, ambo ad amandũ propenſiores homines præſtare ſcripſit. differentiam autem obſeruo, quòd calore in principio ſemper vinum agere poſuit, quòd non eſt de atra bile ratione dicta: quoniam vini caliditas à propria forma eſt, hinc ſemper in ipſo eſt; quæ autem in atra bile reperitur, non eſt à propria forma bilis, & ſic ſemper in ipſa non eſt, vnde nec ſemper ſecundum eam operatur.

Caput octauum, in quo ex eodem problemate idem patet.



Elancholicos ad hoc deuenire dixit, quòd ſe ipſos occidant, idem etiam de vinolentis habet; hoc vero duobus in locis in eodem problemate ab Ariſtot.

ſcriptum proſpicio, primo ſic. nonnulli vero ex melancholicis vbi abunde potarunt, dolent, & animo vehementer ſuccumbunt; calor enim naturalis à calore vini extinguitur; calor enim, &c. ſequentibus quibus verbis oſtendit, ob calorem fieri ſpem, lætitiam, atque alacritatem, ſubiungit, dum dixiſſet, omnes animi bona ſpe inter potandum affici, & propterea ad vinolentiam vſq; prompto animo omnes ebibere, non deeſſe, quos angor inter potandum eadem illa de cauſa appræhendat, qua etiam poſt potum nonnullos occupat. quibus igitur, calore emarceſcente natiuo, oritur egritudo, ij ſibi laqueum potius petunt. alio loco infra ita habet. accidit vero, vt calor ſubito cauſis quoque externis extinguatur, quemadmodum quæ præter ſuam naturam candent, ceu carbones aqua ſuperinfuſa extinguntur. vnde fit etiam, vt ſedata ebrietate nonnulli ſe ipſos enecent; calor enim à vino adiectus eſt, quo extincto vſu venit illa pernitioſa affectio; hæc autem inter iſtos duos contextus differentia eſt, quòd in primo actionem ponit à formali calore vini prouenientem, dum ſcilicet inquit, emarceſcente calore naturali, quod fit reſſicato eius pabulo, vt habet, oſtendendo,

cur

cur magis iuuenes, quam ſenes hoc patiantur: in ſenibus enim, inquit, calor per ætatē marceſcit, quòd naturæ agitur ordine; ſic enim illis primigenia conſumitur humiditas; iuuenibus autem cum per vim affectus fiat, contra naturam fit; ſic de longitudine, & breuitate vitæ temporis progreſſu naturaliter emarceſcere ſcribit, eius diſsipato pabulo, & hinc naturalem ſubſequi mortem. cum autem à calore vini fiat præter naturam, in ipſa ebrietate fit, itaut aliqui, quibus ſtatim extinguitur ob maximam actionem caloris vini affatim diſſipantis id, quod iam præparatum erat, vt calidum innatum nutriret, & proprerea extinguentis calidum innatum, ſicut magnus ignis extinguit prope poſitus cito minorem, abſque vllo inditio præcedente ſe ipſos enecent, & aliqui inter potandum eadem ratione, vt dictum eſt, etiam animo linquant. quo loco obſeruare datur magnam calidi huius actiuitatem: cum enim quicquid nutrit in principio contrarium nutriendo ſit, hinc neceſſaria eſt præparatio nutrimenti, vt poſſit nutrire, fit, quòd etiam in calore hoc idem fiat, quamquam impropriè nutriri dicatur, quòd ſcilicet antequam nutrimentum in ipſius naturam trahatur, quoquo pacto

præpa-

præparetur, vnde, ſi illud, quod præparatum iam eſt, affatim diſſipetur, extinguitur calor, quamquam poſſit impræparatum adhuc alimentum remanere, eodem illo modo, quo parua candela poſita prope magnum ignem ab ipſo extinguetur, licet apparens ſit illum magnum ignem, neque totum aerem diſſipare, neque totam ſubſtantiam candelæ, ſiue cera, ſiue ſeuum ſit. hoc igitur cum à calore vini fiat, proinde ſequitur, quòd antea non appareant inditia extinctionis, quin prius pene totus extinctus ſit, vnde abſque vllo præcedente inditio ſe ipſos enecant. & hoc erat, quod voluit Ariſtot. in quinto præcitato problemate, dum dicebat, calorem innatum extingui à calore vini, & ab ipſo eodem vini calore calidi innati pabulum deprædari, & ex hoc etiam debilitari, quod apud expoſitores viſum fuit nugatio, vt pote qui dixerint nõ poſſe aliter, aut imminui, aut extingui calorem minorem à maiori, niſi per diſſipationem alimenti, cum interim non perſpexerint diſtinxiſſe Ariſtot. prius intelligendo, vt ſupra diximus, dum dicebat calorem vini extinguere calorem innatum, calorem vini extinguere per diſſipationem illius alimenti, quod iam præparatũ erat ad hoc, vt nutriret,

&

& propterea optimum fuit exemplum de magno igne reſpectu minoris, & etiam bene dixit. calorem proprium corpori ſe permiſcens extinguit, cum neceſſe ſit ad caloris innati ſubſtantiam prope penetrare, ſi debet quod ab ipſo innato calore, vt inde immediate aleretur, pręparatum ſibi alimentum eſt, deſumere, & ſic in noſtro contextu habet. iuuenibus autem per vim affectus fit. non enim deficit illis naturaliter alimentum, ſed quoniam, quod præparatum erat, violenter abſumitur; vnde ſubito extinguitur. dum autem dixit, & debilitare, quatenus proprium pabulum illi aſſumit, intellexit de diſſipatione, & imminutione alimenti, & propterea dedit exemplum de lucerna ſi dematur oleum, & de ſenectute, & marcore, quæ contingunt ob imminutionem alimenti; & etiam dixit. vinum enim calidum corporis caliditati naturali coniunctum efficacius porrò, quæ calor proprius ſibi ſubdita pro alimento obtinet, conſumit, quaſi in hoc volens inferre, quòd non tantum imminuitur alimentum à calore vini, ſed & etiam à calore naturali, cum quo coniungitur, ita vt vterque ſimul coniunctus nutriatur, & propterea imminuatur alimentum illi, qui ſolus nutriri debebat. in

ſecundo autem contextu, in quo ponit etiam poſt tranſactam ebrietatẽ nonnullos ſe ipſos enecare; actionem ex parte materiæ ponit, in qua actione aſſimilatur actioni atræ bilis, dũ frigida eſt, à qua iſtam mortem laqueo cauſari dixerat, vnde non amplius emarceſcente dicit, ſed vtitur vocabulo, extingui ab externis cauſis, & exemplificat de aqua, ſicut etiam dicit, ſedata ebrietate, quaſi ſupra locutus fuerit de affectu, qui à calore vini fit, vnde in ipſa ebrietate fit; ea autem ſedata, actiones, quæ à materia fiunt, cum adeo violentæ ſunt, vt extinctionem caloris in fonte dicant, tunc potentes apparent; nec calor vini valet hanc materię actionem impedire: qui enim ex vino calor eſt, adiectus eſt, ſcilicet non talis, vt corpori naturalis ſit, non valens nutrire, vel corroborare in ipſum conuerſum calidum corporis vitale, adiectus etiam eſt reſpectu materiæ, in qua inſidet, ſcilicet vini: neque enim ex permixtione elementorum ipſum componentium reſultat, hinc, cum nec calorem innatum roboret, non permanet, nec etiam reſidet in ea materia, in qua prius erat, vnde eo iam euaneſcente, materia illa frigida naturaliter remanens calidum innatum etiam affatim extinguit, ſicut aqua ſuperinfuſa arden-
tes

tes carbones, ex quo vſu venit illa pernitioſa affectio. & vt probaret optimam fuiſſe cōparationem, rurſus in epilogo ipſam atram bilē comparat cum vino. ex hac igitur comparatione effectuūq; ſimilitudine, nos etiā æqualem amborum temperiem cōcludemus, itaut ſicut atra bilis natura frigida ad modū aquæ eſt, accidentaliter vero calida eſſe poteſt, ſic etiam vini materia ſua natura frigida aquea eſt, quamquam cum calore coniuncta, cum hac tamen differentia, quòd vini caliditas à propria vini forma eſt, atræ vero bilis accidentalis, quam etiam remouere poterimus, ſi dicamus, quòd quatenus aquea humiditas eſt, habet illam accidentalem caliditatem, etiam ſi habeat illam à propria forma, quatenus vini humiditas eſt.

Caput nonum, in quo ad idem proponitur textus Hippocrat. ponderandus.



SED quid firma illa medicinæ baſis Hippocrat. de vino ſenſerit, iam videre mea mens eſt; ſecundo de Dieta ita memoriæ prodidit, vinum calidum, & ſiccum eſt, habet & purgatorium quiddam à materia;

ria ; cum autem de vinis nigris, & austeris locutus esset, subiungit, mollia vero nigra humidiora sunt, & inflant, atque aluum magis mouent, dulcia nigra humidiora sunt: calefaciunt autem, & inflant humiditatem inducentia. totus contextus certe obscurissimus est, & videtur contrarietatibus plenus: dixit enim vinum simpliciter calidum, & siccum: deinde vero mollia, & dulcia humida, & ne quis intelligere posset (sicut quidam adhuc intellexerunt) vina ea humidiora dici respectiue, addidit inflare humiditatem inducentia, quæ verba indicant positiuam, non respectiuam humiditatem: & hæc verba varia, & vt videntur, contraria dederunt ansam quæstioni, quæ inter antiquos fuit, & adhuc inter neotericos viguit, & forsitan viget, si vinum siccum, humidumue sit. ego vero contrarietatem, difficultatemque tali argumento adaugeo. si cui magis videtur inesse siccitas, & non inest, ergo nec inerit illi, cui minus inesse videtur, dulcibus magis videtur inesse siccitas, quæ tamen non inest, ergo nec alijs inerit. Dictum sic probo. siccitas, vt omnibus in confesso est, terrenam indicat materiam, inter vina vero hæc maxime præualet in dulci; ex Galen: enim tertio. de victus ration: in

morb:

morb: acut: text: ſecundo vina dulcia craſſa eſſe habemus, tum nigra, aut ſaltem non alba: Craſſities vero, vel ab aquea cum aerea coniuncta humiditate prouenit, vel à terrena materia, non hoc caſu ab aquea, & aerea humiditate, quoniam nigra dicit Hippocrat:, quæ autem talia ſunt, alba ſunt, vt oleum, & ſimilia. præterea inflare humiditatem inducendo hæc vina dicit, illa autem flatuoſa non ſunt, vt dictum eſt: quamquam enim ob incluſam aeream in aquea humiditatem veluti paruis ampullis conſtent, vnde craſſitiem habent, vt dicebat Metheologic: quarto Ariſtot:, non tamen præter illam, quam naturaliter habent, ſpumam, aliam concipiunt, vt ſupra ex Ariſtotel: diximus de oleo, quoniam flatuoſa eorum humiditas non eſt. Præterea dixit dulcia: dulcis vero ſapor à calore digerēte terream ſiccitatem cum humiditate prouenit, quæ alio modo craſſa ſunt, pingui ſapore prædita ſunt, ceu oleum, butyrum, & pinguedo: in tali enim materia hic ſapor fundatur. ſi igitur hæc vina, quæ craſſa, terreaque ſunt, humida ſunt, quænam erunt, quæ ſicca dicet? præcipue cum vniuerſaliter tum calorem, tum ſiccitatem de vino affirmare videatur.

Caput decimum, in quo textus exponitur, & concordatur.



HÆC igitur difficultas, & tam vrgens in Hippocratis verbis cõtrarietas vt dissoluatur, dicamus vinum, dum propria forma agit, calidum, & siccum esse, quoniam calefacit, & exsiccat: considerat enim Senex actiones vini in corpore viuenti, & ab eis ipsius temperiem statuit: nam liber iste est liber de Diçta, in quo considerantur omnia in ordine ad corpus. quando autem sua materia remanet, & agit, iam iam vinum humidum est, & humectat, tunc autem remanet propria materia, & agere dicitur, cum nõ fluit, & residet in corpore, vt est materia vini nigri, & dulcis, quæ cum non fluat extra corpus egrediens, in partibus viuentibus remanens eas humectat, sanguinemque, siue nutrimentum humidum parit: sic enim magis humectabit, & infrigidabit corpus aqueum nutrimentum, quàm ipsamet aqua. in hoc vero libro supponitur, quòd ea quantitate bibatur, quæ mediocris sit, itaut vinci, digerique possit; vnde non agitur, quòd inebriet,

quòd

quòd calorem innatum extinguat, quòd rigores, tremores, & ſimilia cauſet: hæc enim, dum immoderate potatur, præſtat: omnibus autem vinis quod plus craſſum eſt, in corpore magis remanet, & ſua materia viuentes partes magis nutrit. nam quod nutrit eas, non ſolum mixtum eſſe debet, ſed etiam neceſſe eſt, vt conſiſtentiam, ſtabilitatemque aſſumere poſſit; corporis enim viuentis partes ſtabiles ſunt, & non fluunt; ſtabilitas autem à terra eſt, quapropter craſſiora, ſolidioraq; alimenta, ſi tamen digerantur, magis, ſolidiuſque viuentium partium ſubſtantiam nutrient, quam tenuiora, & aquaſiora: vnde Hippocrat: ad valde, ſolideque nutriendum carnibus ſuinis vtebatur: quod aũt vinũ plus craſſum eſt, id cum magis ſolidum ſit, magis etiam conſiſtentiam, ſtabilitatemque adipiſci poteſt, ex quo idem Hippocrat: dum alere vina noua dixit, magis craſſa, quam tenuia dixit alere. verũ cum ſimpliciter adhuc aqueũ ſit ex prædominio, fit, quòd humectet aqueũ etiam nutrimentum gignens; tenuia autem dulcia, cum adhuc magis aquea ſint, non tantum tamen vt fluant, tenuia enim reſpectiue dicuntur, inde ratione craſsitiei, & ratione dulcedinis, dulce enim, cum ſit amicum na-

turæ,

turæ, & retinetur, & etiam attrahitur, in corpore remanentia magis humectant, sanguinemque debilem faciunt, scilicet ob multam aquositatem tenuem; qui enim sanguis talis est, tum quia non valet ad resistendum, tum quia debilia corpora reddit, paruum, & debile afferens alimentum, vt videre est in ceruo, & dama, debilis est. & aduersarium corporis sanguinem augent, sanguinem scilicet serosum, qui aduersarius est, quoniam frigidus est, & quoniam, vt diximus, facile alteratur, & incalescens acrimoniam, malignamq; quamdam putredinem concipit, ratione cuius malus icor ab Hippocrat: dicitur, dum habet. de sanguine icoroide, siue bonus, scilicet in suo esse naturali, siue malus, qualis est ille incalefactus extra propriam naturã, quòd in pauidis. & in peruigilibus, &c. aduersarius præterea est; quia præter iam dictam debilitatem, quam in corpore efficit, cum non valeat ipsum nutrire, etiã commixtus ipsum corporis alimentum labefactat. quòd autem humectet, quatenus retinetur, & in nutrimẽtum vertitur, audiamus ab eodem Hippocr. dum, quid præstet sapa, enarrat. sapa, inquit, calefacit, humectat, & subducit, addens horũ effectuum rationem habet, calefacit, quia vinosa

nosa est, vides à vinositate, scilicet à formalitate vini vim calefaciendi, humectat, quia alit, ex quo apertum est vim humectandi materię attribuere, cũ remanet, siue nutrit; quòd si quis dicat omnia nutrientia ea ratione, qua nutriunt, humectare, dico, quòd agitur hic de differentia nutrimentorum, siue quid agat quodlibet nutrimentum propria facultate, & non quid pręstet in genere nutrimentum, pro vt nutrimentum est, ex quo ponit etiam in hoc eodem libro nutrimenta, quæ exsiccant. nec minus potest clare apparere remanentem materiam eam esse, quæ humectat, ex hoc, quòd vinũ sub torculari expressum, & nondum excolatum humectare scribit, cum vinũ siccum dixerit. quid per excolationem aufertur? certe materia terrea, terrea igitur materia humiditatem pariet? non equidem, efficiet quidem quòd immorabitur aquea humiditas, quæ cum non possit ab illa terrea portione hoc amittere, quòd corpus non humectet, immorans humectat. quòd si dein exturbatione, quam efficit, aluum moueat, non laboro. sufficit quòd vis humectandi à materia est: si enim, & sapa, & vinum non excolatum humectant, quæ magis terrea sunt ipso vino, à fortiori constat, & etiam vinum

humectare. verum quoniam actio non fit nisi in tempore, hinc necessarium est, quòd non fluat, sed restagnet hæc materia in corpore. & hoc disertissimis verbis scripsit Aristoteles tertiæ sectionis problemate vigesimoprimo. quærit, cur quod vniuersim, raptimque bibitur, ventrem id minus humectet, cum tamen ab humore copiosiore plus humectari conueniat. & sic vinum humorem, & humectantem ponit. an quòd, respondens subdit, humorem multum, ac vniuersum venter superare non potest, sed locum adire suum indomitum patitur, locus autem crudi humoris vesica est, exiguum vero facile vincit, & concoquit, ex quo moram hic diutius trahens porro ventrem humificare potest, ex quo manifestum est, quòd moram trahens, dum vincitur, & concoquitur, humectat. sed, vt res manifeste appareat, obseruandum est, quòd cum dixisset vinum calidum, & sicum est, subdit statim. habet & purgatorium quiddã à materia, quæ verba quid sibi velint, videndum est. quòd alij forsitan dicturi sunt ea verba significare, quòd purget vinum, non me subterfugit, sed quomodo à materia habeat, indagatione indiget. vina tenuia vrinas mouere solent, quod, vt vnde fiat, cognoscamus,

mus, ad Ariſtot. noſtrum confugiamus. problemate quadrageſimo primo ſectionis primæ quærit, cur alia ex medicamentis aluum ſoluant, veſicam vero minime, alia vero veſicam ſoluant, cum aluum nihil moueant. an quòd, reſpondens ait, ea, quæ natura humida ſunt, atque aqua referta, ſi medendi obtinent facultatem. veſicam ſoluunt, habet igitur iuxta hanc doctrinam vinum à materia vim purgandi, quoniam cum ea aquea ſit, per vrinas mouetur: duplex enim genus diurecticorum eſt, aliud, quod fundendo vrinas mouet, quod tamen, ſi & ipſum per veſicam permeare debet, cum ea, quam fudit, materia, tenuis etiam ſubſtantiæ eſſe oportet, aliud autem diurecticorum genus eſt, quod ſua ſubſtantia, quæ humida aquea eſt, mouetur ad veſicam, teſte eodem Ariſtot. ſupra citato problemate. vinũ igitur quãquam ſua formali caliditate poſſit aliquid fundere, ipſum tamẽ ſua propria ſubſtantia per vrinas purgatur, per quos canales tranſiens trahit etiam ſecum aquoſitatum non nullas portiones, & purgat eadem illa ratione, qua & ſerũ lactis, & alia ſimilia aquea: vnde & bene habet purgatorium quiddam à materia, habet ſcilicet illam purgandi vim à materia propria. nec nos turbare debet, quòd

Ariſtot.

Aristot. dixerit, si fuerint medicamentosa, & vinum medicamentosum non esse; nam purgãdi vim illi attribuit in nostro cõtextu Hippocrates, vnde de ea facultate non est, quòd dubitemus: quam quam enim eam violentam non habeat, & à propria formalitate, vt pote quod secundum eam nõ parum caloris innati substantiam restauret, cum digeritur, vt infra videbimus, eadem tamen ratio militat de eo respectu illius purgationis, quam habet à materia, quæ de alijs respectu magis violentæ illius purgationis, quam habent tota: purgatio enim per vrinas dum non fit à fundente calore, sed quoniam ipsum purgans feratur per vrinas, semper indicat aquosã materiã; quòd autem non à fundente formali calore, sed ab ipsa vini materia hæc purgatio per vrinas fiat, hinc colligere datur, quòd vinum nigrum, sicut etiam mustum, quæ calidiora sunt, vrinas tamen nõ mouent, prçterea quòd dicit Senex, habet purgatorium à materia, & non à forma: sic & Galenus de victus ratione in morbis acutis com. tertio tex. tertio recognoscens vini substantiam, siue materiam esse eam, quæ per vrinas purgat, cũ & etiam ipsa per eas descendat, habet. nempe vina hæc vrinas cient, quòd vtramque tarde per vrinas descendendi effugerunt

gerunt proprietatem : mollia autem, nigraq; vina, quæ humida dixerat, iam hæc aluũ mouere dicit. hoc autem, quoniam cum propter crassitiem per vrinas non fluant, ab Aristot. enim supracitato loco, quæ per vrinas fluere debent, aqua referta esse necesse est, valde scilicet aquea remanent intra ventrem, eumque humectant, multam flatuum copiam etiam gignentia. quod etiã habetur à Galeno in tertio commentu de victus ratione in morbis acutis tex. secundo, dum inquit, verum quoq;, & quòd crassa sint huiusmodi vina, neque per vrinas velociter descendant, neque cito difflẽtur, transpirentque, quo fit, vt biliosos humores, neque secum agant, neque excernant. solis ergo ijs vnum inest bonum, quòd ventrem emolliant, quæ verba quamquam de vinis dulcibus dicantur à Galen:, eadem tamen ratio est de eis, ac de vinis mollibus, vnde & etiam in inferioribus, vina tenuia dulcia, & vrinas ciere, & aluum mouere, dixit Hippocrat: neque vero repugnans est, aliquid & nutrire, & aluum lubricum reddere; hoc enim habetur ab Hippocrat:, & obseruatur de pluribus alimentis, & præcipue de nouis vinis, de quibus habet. noua vina aluum magis mouent, itemque alunt: quædam autẽ sunt,

N quæ

quæ aluum mouet conturbando, ceu mustũ, de quo infra. mustum inflat, & subducit, ac conturbat feruens in ventre, & aluo secedit: sic etiam noua vina aluũ magis mouent, quia propriora musto sunt; alia autem lubricando, vt cassia, sicut est etiam vinum molle nigrum, & vinum dulce, de quibus habetur in textu. mollia nigra humidiora sunt, & inflãt, atque aluum magis mouent, sicut & etiam dulcia, quæ & humectare dicit, vnde & de sapa subducit, inquit, quia dulcis est. Vinum igitur dulce & tenue hac ratione, & aluum mouet, quatenus ventrem humectat, sic lubricans, & vrinas ciet, quatenus tenue; defluit enim per ipsas ipsius portio, & sanguinem debilem procreat, quatenus intra venas attractum est, & retentum. ex ijs igitur videre est, quòd vis purgandi, quam habet vinũ, à materia est, si tamen vrinas ea moueat, præterfluit, non immoratur, & sic non humectat, quæ si tamen aluum lubricet, immorans, permanensque humefacit: idem igitur est, ac si dixisset Hippocrat: vinum siccum, & calidũ est à propria forma, à materia tamen humectat, vnde si fluat, & nõ remaneat ipsa, actiones à parte formæ elucescunt, calefacit scilicet, & exsiccat, quæ tamen si remaneat, vt in

vinis crassis, iam ob ipsam aperte adeo humectat, vt etiam lubricet; si enim hoc non esset, hæc vina alijs magis exsiccare deberent, vt pote quæ caliditate illis non cedant, cum tamen magis terrea sint.

Caput Vndecimum, in quo proponitur difficultas, & soluitur.



DICTÆ expositioni contrariari videtur id, quod ab eodem Hippocrat: de vinis nigris, & austeris dicitur, quòd scilicet, cum nullam hæc moueant purgationem, exsiccant tamen, & calefaciunt. Primum quidem austerum saporem prædominante frigore fieri scimus; dubium iam ergo est, quomodo calefaciant, cum enim hic sapor in omphacio præcipuus sit, tamen sensibiliter refrigerare constat. habet præterea, hæc vina humiditatem consumere, quod qua qualitate præstent, non est videre facile; non enim calore, quoniam frigida sunt, non siccitate, neque enim cum fluxibilia sint, absorbendi vi prædita esse possunt, & infra. austera alba vrinas mouere dicit. sapor hic in crudis, & immaturis conspicuus fit, quæ autem

tem

tem immatura ſunt, habent in ſe quidem maiorem humoris copiam, qui tamen humor à frigore congelatus eſt, vnde nec proprios valet humoris parere effectus, neque enim mollificat, nec humectat, vt videre eſt in glacie, ſicut etiam in fructibus, vt in pepone, cucurbita, & ſimilibus: hæc enim ſi matura fuerint, mollia, humidaque videris, quæ ſi cruda, immaturaue ſint, dura, renitentiaq; ſunt, cum tamen à digerente calore humiditatem minime adipiſcantur: quæ enim cocta ſunt, per Ariſtotelem ſe ipſis crudis, & magis craſſa, & magis ponderoſa ſunt, à calore quidem habent, quòd diſgeletur humiditas, & cum ſiccitate terminetur: habent autem auſtera vina, quòd aſtringant, parteſque vniant, ita ut carnium colliquationi dentur, quapropter nõ penetrant, nam aſtringendo ſibi viam intercludunt, qua de cauſa dicebat Hippocrates, vt diximus, hæc vina caput petere: hac vero aſtrictione exſiccare poſſunt, cumque materia illa non penetret, & humor non ſit mollis, ſed veluti ex congelatione durus, humiditatem non imprimit; quæ autem terræ ſiccitas eſt, non obtuſa, & impedita ob humoris diſgelati, & cum ipſa permixti copia, ſed potius tota ex veluti indurato illo humore maxime

agere

agere valet, vt videmus experientia in immaturis fructibus, & hoc iure optimo, quia, vt dicebat Philosophus, omnis induratio quædam exsiccatio est, vnde & ipsi fructus sicci sunt, & exsiccant, dum immaturi sunt, maturi vero mollificati, & humidi redduntur, & humectant, & sic etiam dicit, austera nigra; quæ enim nigra sunt, magis terrea sunt, quæ autē austera alba sunt, cum sint magis aquea, possunt per vasa diuretica fluentia vrinas etiā mouere, sicut habetur ab Hippocrate. vt autem significaret, quòd etiam si liquida huiusmodi vina sint, habent tamen quandam duritiei speciem, quæ ex eorum rigiditate apparet, ijs opponit vina, quæ mollia appellat, quasi antecedentia scilicet austera dura quoquo pacto sint. quoniam autem cruda sunt, aut parum, aut nihil eorum substantia nutrire potest: sic enim supra odorifera vina, & crassa magis nutrire dicebat Hippocrates, quoniam magis digesta sunt: si tamen digerantur hæc vina, & in nutrimentum vertantur, humectant, quoniam humida sunt, & eorum disgelatur humiditas, sed tunc austeritatem deponunt, quoniam teste Galeno cum temporis processu coquantur, sensim austeritatem amittunt, dulciaq; redduntur. hactenus

nus quòd exſiccent, quod indicat, non quòd humida non ſint, ſed quoniam eorum congelata eſt humiditas. ſed vnde calefacient, quoniam cum cruda ſint, & à frigore veluti congelata, præter iam dictas rationes parum formalitatis, & caloris habere neceſſe eſt. & Gal. habet de compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos vinum auſterum frigidum eſſe. ſicut de bonitate, & vitio ſuccorum habet. at in vinis vetuſtiſſimis, quod Romani, ſicut diximus, cecubum vocant, ab albo, & auſtero, & nouello, craſſoque tantum diſtat, vt alterum vehemẽtiſſime calefaciat, alterum ſenſibiliter refrigeret. etiam ſi auſtera ſint, & in illa materia maxime dominetur frigus, vini tamen omnimodo propria non carent forma, quæ ſemper caliditatem aliquam dicit. ex aſtrictione præterea calefacientia dici poſſunt, quatenus calorem ex vnione roborant. calefacere præterea hæc vina dicuntur, quatenus excrementitium conſumunt humorem exſiccando, ita ut ſecundario calefacere videantur, quod videtur innuere noſter auctor in textu, habens. ſiccant autem, & calefaciũt humiditatem ex corpore conſumentia, cum ante dixiſſet. vina nigra, & auſtera ſicciora ſunt, ita vt videatur ſiccitatem anteponere caliditati

liditati

liditati. præter eam igitur vim calefaciendi, quam habent & à propria forma, & quatenus roborant, aliam etiam habent, quòd rigida, & congelata veluti propria materia exsiccãt, quod excrementitium est, & sic inuiget calor. hunc tamen modum calefaciendi videtur destruere idem Hippocrates de acidis vinis loquens, quæ frigefacere, attenuare, & humectare scripsit. frigefaciunt, inquit, quidem, & attenuant euacuationem humiditatis facientia: humectant autem per aquam vnà cum vino ingredientem. quomodo igitur, si supra siccare humorem diximus austera vina, & ex hoc calefacere, hic contra dixerimus acida vina frigefacere, & attenuare, quatenus humiditatis euacuationem faciunt. primo quidem sciendum est ex Gal. aduersus Licum secundum naturam acidum vinum nullum esse, acidumque saporem frigiditatem, tenuemq; materiam præ se ferre, ita vt acida longe, alteque penetrent. hæc etiam refrigerando, quã quam acidi materia à materia astringentium differat, astringendi vi prædita esse, fluxionesque ex hoc prohibere grauiorum auctorũ testimonio, experientiaquè compertum est, vt pomum acidum, acetumque, & similia. quomodo igitur humiditatem è corpore euacuant,

cuant, aut qua euacuationis ſpecie? obſeruandum præterea eſt vina acida hic Hippocratẽ diſtinguere ab aceto. nam de aceto infra ſermonem distincte facit, & hac diſtinctione diſtinguit, quòd vina acida nondum totalem vini formã amiſerunt, ex quo non forſan poſſunt eum gradum frigoris concipere, vt eo medio aſtringere poſſint, ſi tamen ſeruata vini forma vinum frigidum eſſe poteſt: neq; enim ea ſeruata poteſt plurimam concipere aciditatem: acetum autem iam totalem dicit formalitatis vini euaneſcentiam, ita vt iam amplius nomine vini appellari nullo pacto poſſit. quatenus igitur acidum vinum nullũ ſecundum naturam eſt, fit, quòd vim calefaciendi à formali calore, vt pote qui iam ſecundum ſui portionem euanuerit, imminutam habeat, & ſic vi ipſius non parum deſtitutum poſſit parum adhuc ſecundum paruam remanentem formalitatis portionem calefacere, quæ tamen à frigiditate materiæ adhuc infringitur. ſed iam videndum eſt, ijs præmiſſis, quomodo reſpectu euacuationis frigefacere poſſit. reſpectu euacuationis vero crederem ego, quòd intra partes ob tenuitatem materiæ penetrans nutrimẽtalem etiam eorum humorem diſſolueret, & veluti liquefaceret,

qui

qui sic dissolutus, & liquefactus per aquam cum ipso vino ingredientem per vrinas expurgetur. pro aqua autem, ratione cuius humectare scribit Hippocrates istud vinum, nõ intelligerem ego, quòd intelligatur aqua, quæ fuerit commista cum ipso vino, cũ hucusque nulla aquæ mentio facta sit, & si hoc vinum dilutum intelligeretur, iam non de sua natura humectare diceretur, sed vt aquæ admistum, hic autem, ni fallor, Hippocrates de facultatibus vini proprie loquitur, & non de ijs, quas ab extrinseco habet. intelligamus ergo pro aqua serositatem, quæ quidem, cum inseruiat pro vehiculo ad deferendum nutrimentum ad partes, ipsa tamen ad eorum intimas partes non penetrat, sed per diuretica vasa deducitur ad vesicã: hæc autem aquositas, siue serositas naturaliter fit à potus materia, hinc & etiam à vini materia: vnde idem est, àc si diceret, hoc vinum ad partes ductum sua facultate penetrans introducit propriã ipsius materiam, quæ veluti colliquatam nutrimentalis humoris copiam, ipsa secum per vrinas etiam ducit, & euacuat: vnde & acetum quãquam etiam sua natura frigidum, ad quod tendit acidum vinum, quamquam nondum factum sit, frigefacere dicit, quia colliquans

humiditatem in corpore consumit hoc violentius habens ex maiori aciditate, quòd partium etiam substantiam corrodat; hæc vero euacuata materia frigiditatem parit, & sic hęc vina humorem euacuando frigefacere dicuntur, immo & etiam hac eadem ratione attenuare, quoniam scilicet penetrantia, & incidentia, & colliquantia illum humorem corpus nutriri non sinunt: vnde bene frigefaciũt, & attenuãt humiditatis euacuationem in corpore facientia. quod tamen in austeris contrario contingit modo: quæ enim ab ipsis cõsumitur humiditas, aquea, excrementitiaq; est, qua dissipata inuiget calor. cum autem illa, quam ingredi faciunt acida vina, aquositas humida sit, hinc iure dicitur. humectant autem per aquam vnà cum vino ingredientẽ, per materiam scilicet ipsius eo, quẽ diximus, modo vnà cum facultate vini ingredientem. quòd autem humidum vinum dulce sit, & humiditate lubricet, notum est ex differentia, quam ponit Hippocrates inter vinum dulce, & mel: mel enim biliosis aluum mouere dicit, pituitosis autem sistere, vinum dulce è contra. quod nulla alia de causa contingere potest, nisi quoniam mel, si non bilescat, hinc non stimulet ad expulsionem expultricem facultatem,

cultatem, ſua corpulentia obſtruit, quod ſignificauit de oximelite Hippocrates, quando dicebat, quòd ſi non pertranſit, corpulentia obſtruit. vinum vero dulce in pituitoſis magis aluum mouet, quoniam ſua humiditate lubricat, eadem ratione, qua magnas fluxiones aluum lubricare dixit Hippocrates de affectionibus. id quod ob impetum motus, & quantitatem humoris contingit, quæ eſt ratio, quod vinum dulce pituitoſis aluum moueat, & propterea aliàs vinum dulce pituitoſum eſſe affirmauit. in bilioſis vero cum hac ratione lubricare non poſſit: neque enim materia tanta in ijs eſſe poteſt, vt ob quantitatem lubricet, fit, vt ſiſtatur aluus ea illa ratione, qua in paruis fluxionibus ſiſti dicebat: neque enim potens dicta ratione lubricare, aliã alui ſeceſſus cauſam, bilis ſcilicet acrimoniam ſtimulantem obtundit, & tenacitate impingit inteſtina. propter hanc forſitan rationem acetum aluum non mouere dicit, quoniam non alit, quaſi diceret, cum ipſius humiditas in ventriculo non digeratur, cum dulcis non ſit, ſed acris, aluum lubricare non valet. hanc duplicem alui fluxus cauſam obſeruare eſt ab eo Hippocratis dicto, quòd qui habent aluum lubricam in iuuentute, habent eam ſtrictam

in

in ſenectute, & è contra: cum enim in iuuentute moueatur aluus à bile, ętate declinante eius amiſsa acrimonia inteſtina ad expulſionem non mouentur, cum interim alia cauſa non poſſit eſſe propter calidam corporis temperaturam: contra vero, quando in iuuentute non fluit, cum non ſit ea bilis quantitas, vt aluum mouere poſſit, frigidam indicans temperiem denotat, quòd declinante ętate ad eam humoris copiam deuenire erit, quòd ex ea lubrica aluus reddatur. in toto autem contextu obſeruo de vinoſo vino ſermonem non fieri, ex quo ſuſpicor illa verba, quòd vinum calidum, & ſiccum ſit, habens purgatoriũ quiddam à materia, de eo audienda eſſe. quaſi ex hoc volens fundare regulam vinorum: quòd enim vinoſum eſt, vinum maxime eſt, & ſic videtur voluiſſe inferre, vinũ vinoſum, quod magnam formalitatem habet, reſpectu ipſius calidum, & ſiccum eſt, materia tamen non remanente, nec nutriente, ſed purgante: etiam ſi enim ſuo calore formali poſſit fundere, vt dictum eſt, materiam: materia tamen vini ea eſt, quæ, ſicut diximus, per vaſa diuretica trãſiens ſecum etiam trahit id, quod fluxibile eſt, ſiue illud fuerit, ſiue ſit à formali calore vini fuſum. ſi igitur hæc vina talia ſunt, & etiam

alia vina huiusmodi erunt, respectu scilicet vinositatis, siue formalitatis ipsius vini calida, & sicca, quorum tamen, si remaneat materia, iam respectu ipsius diuersa temperies erit.

Caput duodecimum, in quo alia Hippocratis loca ad idem proponuntur.



PSIVS Hippocratis clarissima sententia hæc est sectione quinta, aphorismo quinto, in quo sic habetur. si quis ebrius de repente voce priuetur, conuulsus moritur: si nō febris corripuerit, aut vbi ad horā, qua crapulæ soluuntur, peruenerit, loquatur. apertissimum est hoc fieri plurimam ob vini humiditatem, quæ linguam imbibens, vt supra ex Aristotele vidimus, sermonē impedit, quæ, si non digeratur ea hora, vel à febrili calore soluatur eo modo, quo dicebatur, cōuulsioni accedens febris, bonū, neruos imbibēs conuulsionem procreat, & hoc erat, quòd supra dixerat Aristoteles ebrios delectari sole. ita vt de vini humiditate ex Hippocratis sententia non relinquatur amplius dubitandi locus. quòd autem siccum sit, scilicet exsiccet,

præter ſupra dictum textum de diæta, & de affectionibus, clare etiam dicitur in ſeptimæ ſectionis quinquageſimo ſexto aphoriſmo, in quo oſcitationem, inquit, anxietatem, horrorem vinum æquali menſura aquæ admiſtum potum ſoluit. hoc autem non aliunde præſtat, niſi quoniam, quod in ore ventriculi continebatur, diſſipat: admiſtum enim aqua magis ſupernatat. nam, vt dicebat, fundum ventriculi merum petit, ex quo ex Ariſtotele magis prouocat nauſeam vinum aquæ admiſtum, quam merum. vnde manifeſte habemus in ipſo vim calefaciendi, & exſiccandi. & ſic ſextę ſectionis aphoriſmo trigeſimo primo oculorum dolores meri potum, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectionem, aut medicamenti potum ſoluere ait; cum tamen ſupra febrili calore ipſius humiditatem indigere dixerit: manifeſte autem, vt iam concludam, apparent cõtrarij iſti duo effectus ex ſeptimę ſectionis aphoriſmo ſeptimo. ex multo potu rigor, & delirium, malum, quo contrarij cernuntur effectus, delirium videlicet, quod à calore fit, & rigor, qui à frigore: debet enim aphoriſmus legi coniunctus, vt apparet per dictionem, &, & ex hoc etiam, quòd ſeparatus nõ poteſt eſſe verus: ſimplex enim deliriũ

non

non minatur in ebrijs malum, vt continuo ostendit experimentum. hoc autē non aliunde fit, quòd scilicet contrarij isti appareant effectus, nisi quoniam formalitate caput cōcalefacit, dum materia frigida remanens frigoris manifestas producit notas: neq; enim rigor illa violenta materiæ actio est, quòd caloris etiam in fonte totalem dicat extinctionem. hos autem contrarios effectus denotauit Aristotel., vt supra vidimus, problemate supracitato. cur ebrij facile rigeant. ebrietas enim stat pro eo, quod ab Hippocrate dicitur delirium. sic & vinum dulce hos impedit effectus, quatenus, vt diximus, impediens, ne vini caliditas ad caput euaporet, ebrietatem, & delirium impedit, quæ deinde caliditas ad caput nō euaporans eam dissoluit materiam, iuxta id, vinum se ipsum dissoluit, & sic rigores etiam ipsius materiæ effectus impedit. quòd vero detur rigor cum delirio coniunctus, videre est apud Hieremiam Thriuerium in comentu supra citati aphorismi.

Caput decimumtertium, in quo idem sensisse Galenum demonstratur.



GALENVS in vini enarranda temperie admodum varius esse videtur. nam de ratione victus in morbis acutis secundo aphorismorum, & septimo methodi existimauit vinum humidum. qui tamen idem Galenus quinto aphorismorum, aphorismo quinto calefacere, & exsiccare scripsit. octauo etiam de simplicium medicamentorum facultatibus calefacere secundo ordine habet, & eius caliditati respondere proportione siccitatem, & si admodum vetus sit, tertio etiam ordine calefacere habet. cuius auctoris diuersitas à dicta temperiei ipsius vini diuersitate pendet. quando enim considerauit vinum secundum materiam, humidum dixit, quamquam enim de attenuante victus ratione capite duodecimo vina nigra, & dulcia sanguinē crassum gignere dixerit, & crasso sanguine venas replere, hoc non intelligendum est, quòd ipsis solidis nutrimentis crassiorem sanguinem gignat, sed inter cętera vina, & respectu actionis ipsius potus, vnde bene ex proba-

tione se ipsum declarans habet infra. cuius rei argumento sunt incolę iuuenes, qui in palestra bonæ habitudinis comparandæ gratia se exercent; vtuntur enim hoc vino in potu nō aliter, quā suilla in cibo, ex quibus manifeste videmus, quòd vinum tale, quatenus potus, sanguinem crassum gignit. & hoc est, quod soluit maxime apparentem contradictionem inter Hippocratem, & ipsum Galenum: si enim supra Hippocrates vina dulcia sanguinem debilem gignere dixit, cur hic Galenus fortem, & crassum procreare affirmat? quæ difficultas ex hoc soluitur, quòd scilicet Galenus loquitur hic de vino, quatenus est potus, potus autem vsus is est, quòd sua aquositate valde fluxibili sanguinem fluere perfecte faciat, quam maxime fluxibilē aquositatē cū non prestet vinū nigrum dulce, fit, vt nō solū ea priuetur sanguis, sed ea priuatus ex stabilitate etiam crassitiem adipiscatur, & sic in genere potus sanguinem crassum reddit, quatenus eum priuat ea illa, & aquositate fluente, & fluxibilitate, quam ab illa aquositate potus habere debet: non autē voluit Galenus, quòd ille sanguis, qui ex ipsius substantia gignitur, crassus sit: qui enim ex eo generatur, aqueus, debilis est, sicut dixit Hippocrates, conside-

rans, vt diximus, eò loci quem propria ſub-
ſtantia vinum ſanguinem gignere poſſit, cu-
ius ſanguinis ab ipſius ſubſtantia geniti te-
nuitatem, aquoſitatemque idẽ cognouit Ga-
lenus. nam in cõmentu illius aphoriſmi Hip-
pocratis, in quo habetur, ſi vis cito alere, vte-
re liquidis, vina craſſa citius quidem alere,
quàm ſolida habet, quamquam minus. quòd
non efficerent, niſi ſua ſubſtantia tenuem, &
aquoſum ſanguinem gignerent, quæ enim
ſanguinem craſſum gignũt alimenta, ea nec
cito, neque parum nutrire poſſunt. hoc quòd
ſcilicet ſua ſubſtantia ſanguinem debilem
faciant etiam aperte recognoſcit Galenus de
alimentorum facultatibus libro ſecũdo. dum
enim de vuis ſermonem facit, eas nutrire di-
cit, & magis nutrire ipſo muſto, eaſque plus
nutrire habet, quæ exiguo ſucco præditæ
ſunt. hoc tamen illis attribuit, quòd quæ ex
ipſis gignitur caro, haud quaquam firma, &
denſa eſt, quemadmodum ea, quæ ex carni-
bus fit, ſed laxa, ac flaccida, vt apparet in ijs,
qui vineas cuſtodiunt: quamquam enim ex
vuis pingueſcant, cito tamen, cum deſinát
ijs vti, gracileſcunt. ſi ergo ipſa vua, quæ ma-
gis terrea eſt, & ſicca, nutrimentum tamen
humidum gignit, eò magis hoc præſtabit
ipſum

ipſum vinum, vua multò aquoſius: hac enim ratione etiã dicit magis eas nutrire vuas, quæ minori ſcatent humiditate: nimia enim aquea humiditas non poteſt nutrire, ſed ex aliqua terræ permixtione vis nutriendi prouenit. vnde dicebat Galenus. vim nutriendi habere vinum à craſſitie: indicat enim illa aliquam proportionatam terræ admixtionẽ. certe igitur ex hoc cognoſcimus, Galenũ ſua ſubſtantia vinum humidum eſſe, & ex hoc aquoſum etiam nutrimentum gignere, poſuiſſe. quãdo vero ſecundum formalitatem vini loquutus eſt, ſiccum appellauit: ſicut fecerunt Ariſtoteles, & Hippocrates, quòd manifeſte colligitur ex eo, quòd dicit de vino in ordine ad neruos quinto de locis affectis: vinum facillime neruos replet. tertio in tertium de morbis vulgaribus, & in ſecundo cõmentu tertio, nec non primo de ratione victus in morbis acutis, & ſæpiſſime alibi, potiſſimum quinto aphoriſmorum neruis inimicum vinum eſse docet ea ratione, quòd ſui ſubſtantia, & principium neruorum, & neruos repleat, quamuis calefaciendo, & exſiccando ſui qualitate eam, quam fecit, diſpoſitionem non nunquam ſanet. qui certe textus apperte diſtingunt hanc temperiei diuerſitatẽ: ſic enim,

inquit,

inquit, ſubſtantia, ſcilicet corpulentia, materia ve humidum exiſtens, tum principiũ neruorum, tum neruos ipſos obſtruit; ſua autem qualitate à forma ſcilicet calefaciens, & exſiccans reſoluit eum, quem ſuamateria fecerat, humorem. quam doctrinam deſumpſit ab eo problemate iam prædicto Ariſtotelis, in quo dicebat. an ſicut vinum alia diſoluit, ita ſeipſum diſoluit.

Caput decimumquartum, in quo per nonnullas rationes vini oſtenditur temperies.



VOD autem ad rationes pertinet, omnibus in vſu poſitum eſt vti vino pro potu, potus autem, vt patet, frigidum quid, & humidum eſſe debet: ſic enim frigidi, & humidi ſitis appetitus eſt, per quã humiditatem veluti per vehiculum defertur ad nutriendum partes ipſum nutrimentum. ſi igitur vinũ hæc præſtat munera potus, quis dubitabit de aqueo ipſius temperamẽto? hæc tamen munera ſecundum materiam præſtat: ea enim eſt, quæ fluit fluxionem ſanguini præſtans, ex quo frigidum humidumque temperamentum materiæ etiam erit. ſi autem ipſius

vini principium consideretur, quòd vitis est, humidum est, humidam enim esse vitim, & ex ipsius flexibilitate, & amplitudine, multitudineque frondium constat, sic habet amplitudinem radicum in proportione, non alia de causa, nisi vt multum humoris attrahere posset, ex quo humido fieret vinum. hinc est, quòd, si vitis sit in loco humido, aut cœli cõstitutio humida fuerit, multum pariet vinum, sicut etiam si vitis quantitas in terra submersa sit, vt possit humoris copiam attrahere, hac etiam ratione vitis iuuenis in proportione suæ quantitatis maiores procreat vuas, quàm sit iam adulta, vt legere est apud Albertum Magnum. hanc autem vitis humiditatem tenuem esse clare indicat frondium tenuitas, sicut etiã viridis earum florens color: crassa enim si esset humiditas, opacitatem cum magnam efficeret, non sineret eorum viriditatem tã florentem, splendentemque esse. calorem autem formalem habet vinum ab ipso calore vitis vitali, tum autem præcipue ab ipso Sole, qua caussa, quæ vua non subiacet radijs solaribus, ita vt ab ipsis tum directe, tum per reflexionẽ non percutiatur, vinum generosum, & bonũ gignere non valet: sic enim fit, quòd vua, quæ nimis erecta à solo est, non saporificum

S gignat

gignat vinum, quoniam ex repercussione radiorum nascentem calorem non sentiat; hinc etiam fit, quòd quamquam in humidis locis, & in humida cœli constitutione maior vini quantitas producatur, id tamen non tam vinosum, & saporificum sit, & corruptioni magis subiaceat, vt pote cum in tanta materia non potuerit imprimi calor, sic etiam hac eadem ratione, quamquam nouella vitis in proportione maius vinum procreet, quod tamen ex adulta viti producitur, id magis saporificum, & vinosum est. hanc autem caloris portionem manifesto ex corruptione vini colligimus: dupliciter enim corrumpitur vinum, quod inter cætera non viuentia mixta illi præcipue contingit, tum dum vertitur in acetum, & dum ebullit, quare diuersarum corruptionum ratio afferenda est: neque enim acetum possumus aliquo pacto putridum quid nominare, quandoquidem apud Aristotelem perfectum mixtum est, & non quid putridũ, neque etiam dicere possumus, quòd sit quid semiputrefactum, tum propter dictã Aristotelis auctoritatem, tum etiam quòd facile deinde totaliter putrefieret. corrumpitur igitur vinum, dum vertitur in acetum, & tamen nõ putrescit, cum tamen mixtorũ corruptio per

putre-

putredinem fiat, quando autem in vapam vertitur, tunc certe putrescere cognoscimus: sic enim ebullit, & feruescit, vt faciunt aliæ mixta, dum putredinē concipiunt. nil aliud igitur nobis ostēdit ista duplex corruptio, quàm duplicē habere vinū calorē, ita vt dum vertitur in acetum, non euanescat, & euaporet calidū elementale manutenens mixtionem, ex cuius euaporatione subsequitur putredo, sed aliud calidum, quod erat ex formalitate vini, & impressum fuit, tum à vitis calore, tum etiam præcipue à calore Solis, quòd deinde euanescens derelinquit deinde mixtum perfectum, scilicet acetum. hac de caussa putauit Galenus acetum esse veluti vinum emortuum, destitutum scilicet illo calore: & sic corrumpuntur hac duplici corruptione omnia alia, quæ præter elementale calidum habēt aliud calidi genus, veluti sunt viuentia, quæ prius vt viuentia corumpuntur per segregationem animæ à corpore, amisso calore vitali, quæ deinde vt mixta, & etiam corrumpuntur per putrefactionē. hinc autē fit, quòd in aceto adsit illa acredo; prouenit enim ea, vt dicit Galenus, à calore extraneo, dum extraxit calidum naturale ipsius vini, hinc optima vina optimum pariunt acetum, quoniam quæ optima sunt,

pluri-

plurimum habet de hoc calore, hinc cum plurimum resistat, necessarium fuit ad ipsius extractionem validum extrinsecum calidum. hoc igitur segregans calidum vini formale, derelinquit materiam vini in temperamento naturalis mixtionis, quod frigidum, & humidũ est, vt diximus, quod olfecit Petrus Apponiensis in expositione primi problematis tertiæ sectionis supra citati: dicit enim posse fieri rigores ob derelictam acetosam materiam, quod idem est, ac si dixisset ob materiam vini derelictam. & sic Auic. capite primo de ægritudine neruorum habet. nocet multa ebrietas, & vinum plurimum propter vehementiã mordicationis vini, & resolutionem, & acetositatẽ infrigidantem, pro qua acetositate certũ est non potuisse aliud intelligere nisi vini materiã. hac ratione cũ in quarto meteo. considerauerit Philosophus mixtum sub ratione mixti, considerauit etiã temperamentũ ipsius ex parte mixtionis, quòd sequitur elementum prædominans, quod cum in vino sit aqua, vt diximus, propterea iure optimo frigidum, & humidum appellauit. in problematibus vero, in quibus considerat vini actiones, appellauit calidum, habita ratione formalis caliditatis.

LI-

LIBER SECVNDVS DE AQVA VITÆ,

Caput primum, in quo species caloris proponuntur.



ED vt iam prope ad aquam vitæ accedamus, quid nã sit istud calidum in vino præter ignem ingredientem mixtionem, contemplemur oportet. duplex calefaciens inuenio tum ex sensu, tum ex Aristotele. calefacit enim manifeste ignis, calefacit etiam cœlum, præcipue vero Sol motu, & lumine. in principio tamẽ calefaciendi differunt, quandoquidem calefacit ignis qualitate passiua, & propterea corruptibilis est: Cœlum vero non calefacit qualitate passiua, sed actiua tantum, hinc cum actiuum sit passiuo prius, immo omne passiuum cum ortum ducat ab aliquo actiuo, fit, quòd calefacere dicatur per prius, & posterius de Cœlo, & igne, ita vt vere primum calefaciens dicatur Cœlum, non vero ignis, quoniam primum calefaciens debet calefacere per non passiuam qualitatem, sic etiam primum mouens debet mouere per non mobilem dispositionem. hæc

etiam ineſt differentia inter primum calefaciens, & ignem, quòd calefacit ignis, quoniam calidus eſt, primum vero calefaciens nõ quoniam calidum ſit alterando, ſed per lumen, & motum. ex hac autem differentia fit, quòd diuerſimode agere poſſint calefaciendo ignis, & Cœlum: ignis enim non poteſt alio modo calefacere, niſi prout calidus eſt: Cœlum vero cum ſit primum calefaciens, non per calorem, quem actualiter habeat, poteſt diuerſos procreare calores, prout fit diuerſa ab ipſo actio, per diuerſitatem, proportionemque diuerſam, tum motuum, tum luminum, quibus mediantibus calorem parit, & pro vt diuerſimode recipiunt hæc duo patientia corpora, illa eadem ratione, qua faber ex ferro tum ſerram, tum etiam malleum condit, quorum vtrumq; poſt quam factum eſt, non poteſt niſi ſecundum propriam figuram operari, cum tamen poſſit artifex alias figuras in eodem ferro imprimere: ſic Cœlum cum produxerit ignem, non poteſt ignis ille alium gignere calorem, niſi quem ab ipſo recepit, & actu habet. ipſum vero Cœlum diuerſas caloris proportiones agere poteſt. ab hoc igitur innatus fit calor, teſte Auerroe duodecimo metaphyſicorũ, cuius doctrina

hæc

hæc est. & fit iste calor ab habente semen, & à Sole, & factus est ex terra, & aqua ex calore Solis admixto cum calore aliarum Stellarum. hæc igitur elementa ab hoc motu, & lumine incalefacta reddunt, efficiuntque naturalem calorem, qui quidem calor naturalis ex stellarum caloribus generatus, habet proprias illius caloris mensuras ex quantitatibus motuum Stellarum, & dispositionibus earum ad inuicem in propinquitate, & remotione: immo fit, quòd ex diuersitate materiæ diuersa non minus fiant animãtia, propter diuersam, quam habent sydera proportionem in calefaciendo respectu ipsius materiæ, ita vt putauerit Plato has diuersas, quas recipiunt elementa proportiones à sole, cæterisque syderibus, esse formas. has obseruantes Astrologi proportiones multa secundum eas prædicũt. hac ratione Philosophantium magister in Generatione Animalium Cap. Vndecimo dixit. calor Animalis in vniuerso est, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia: cũ.n.calor iste fiat ab astris lumine, & motu, & hæc duo cum in vniuerso sint, iure optimo dici potest calorem animalem in vniuerso esse. assignans verò differentiam, cur inter Animalia alia perfectiora, alia vero imperfectiora

ra gignantur, à loco, & corpore, quod comprehenditur, esse petendam dicit, quod exponens Auerroes, inquit. cum sit necessarium generatricem virtutem in differenti subiecto esse, ab eo, quod generatur, hinc fit, quòd diuersificentur Animalia pro illius corporis differentia, quod virtutem generandi recipit, quod agens est, & pro diuersitate corporis quod recipit formam, quod patiens est. infra se ipsum manifeste declarans, quæ nam scilicet sint hæc duo, tum agens, tum patiens, habet. quærendum ergo est, quæ nam erit virtus Animalis geniti ex se, quæ se habet, vt materia, & quæ sit virtus procedens. ab eo, velut mouens, quid etiam sit excrementum, ex quo huius fœtus generatur alimentum: hæc enim tria in vnaquaque generatione esse debent. & est dicendum quòd materię harum specierum generantur ex mixtione facta à corporibus Cœlestibus in mixtione, elementorumq; temperatura, inferendo scilicet in ea complexionem aptam recipere formam. sed virtus, quæ se tenet, vt instrumentum, aut virtutis informatiuæ subiectum, est ipse calor ex Sole, & Stellis generatus, quando infertur in aliquod corpus promptum huic officio, idest in aereum corpus, quod est veluti corpus geniturae

nituræ

nituræ creatæ in Animali genitiuo. respectu igitur huiusmodi corporis recipientis hanc generandi virtutem, & temperiei illius corporis, quod debet recipere hanc formam, diuersæ sunt cœlestis caloris portiones, caloris scilicet illius, qui à syderibus fit: hic autem calor, postquam genitus est, non potest nisi etiam similem sibi calorem producere. hinc igitur fit, quòd non sit ignis, neq; igneus, sed elemento stellarum respondens, non quòd respõdeat calori, qui in stellis est: nullus enim calor in eis est, sed quoniam eum ipsum efficit calorem calefaciendo, quẽ efficiunt ipsæ stellæ, cum ab eis factus sit. hinc fit, quòd hic conseruet, gignatque: igneus vero è contra destruat, & corrumpat, ex quo voluit Auerroes de hoc & de igneo æquiuoce dici calorem.

Caput secundum, in quo soluitur oppositio.



PPOSITVM vero videtur haberi ex Auerroe, vt opponit Zimara, in parte prima tractatus primi Canticæ Canticorum Auicennæ Com. decimoquinto: habet enim. nec est hic ignis sensibilis ille,

qui eſt elementum, ſicut ait Alexander, quoniam iſte ignis eſt cauſa corruptionis, nõ exiſtentię, vel eſſe alicuius. ignis vero, qui eſt elementum, eſt, & habet eſſe, cauſſa eſſe, & generationis. cæterum magna eſt differentia inter cauſam eſſe, quam dat iſte ignis, & inter cauſam illius eſſe, quod dat Cœleſtis ille calor: iſte enim ignis eſt cauſa eſſe mixti, vt cõcurrit in mixtione: non vero cauſa vitæ eſt, quòd ſi cauſa vitæ eſt, non eſt vt vitalis calor, ſed vt calor temperamẽtum efficiens in mixto, & hoc manifeſtum hinc eſt, quòd habet hanc ſententiam in eo textu, in quo elementorum numerus exponitur, vt ex illis complexio mixti fit, & ipſum mixtum. hoc autem idem habetur de Generatione, & corruptione textu vigeſimoprimo. ignis autem, inquit, eſt ſuperabundantia caliditatis, quemadmodum & glacies frigiditatis: congelatio enim, & exarſio ſuperabundantiæ quædam ſunt, illa quidem frigiditatis, hæc autem caliditatis. ſi igitur glacies eſt congelatio humidi, & frigidi, & ignis erit exarſio calidi, & ſicci, ideo nihil ex glacie generatur, neq; ex igne. vbi in Com. Auerroes habet. & Alexander ait, quòd hoc non inuenitur niſi in igne, qui eſt hic, ignis autem, qui eſt hic in vltimo con-

tinentis,

tinentis, non est in fine caliditatis, & ebullitionis, quapropter plura elementa sunt causa generationis, & ideo in hoc est quæstio, de qua nos scrutabimur. ita vt manifeste constet semper Auerroem cum Aristotele, dum habet ignem esse productiuum, intelligere de productione mixti, vt producunt etiam cætera elementa, quæ & ipsa concurrunt ad mixtionem ad differentiam ignis, qui hic apud nos est, qui neque mixtum parere potest, & hæc eadem sententia repetitur ab eodem Auerroe quarto de Cœlo, & Mundo com. vigesimosecundo. ratio autem huius, quòd scilicet hic noster ignis non possit efficere mixtionem, est propter accidens, quod illi accidit, scilicet exarsionem, siue ebullionem, quæ dicit excessum actualem, sicut congelatio, quæ accidit aquæ, quæ dicit actualé excessum frigoris. hoc autem accidens accidit illi, cum est extra proprium locum, quoniam ignis nõ est in propria materia, vt dicitur ab Aristot. de Generatione Animalium, inquit enim, cũ dixerit, plantas terræ incolas quispiam esse statuerit, aquæ aquatile Animalium genus, aeris pedestre, ex quibus constat non ponere ignem, vnquam productiuũ, pro vt est Animalis calor, sed prout producunt etiam alia

ele-

elementa, vt ad mixtionem concurrentia, habet inquam afferens rationem de igne, cur ipſius incolas nō enumerauerit, quartum genus in ijs locis quærendum non eſt, quamquã aliud eſſe exigat ordine ignis: id enim quartum genus enumeratur. verum ignis ſemper formam non propriam habere videtur, ſed in alio corpore: aut enim aer, aut fumus, aut terra eſſe videtur, quod ignitum eſt, ſed genus hoc apud Lunam quærendum eſt: hic enim quartam illam diſtãtiam adipiſci videtur. ſed de ijs alias. quo loco Ariſtoteles aperit, cur non fiant Animalia, & mixta in igne: duplex enim ignis eſt, alius, qui apud nos non eſt, ſed in concauo Lunæ, & hæc eſt ratio, ob quam non generatur in eo Animal: locus enim ille non habet, nec patitur aliorum elementorum admixtionem propter magnam actiuitatem orbium, ratione cuius omnia, quæ in eo loco ſunt, ad ignem reducuntur: alius autem ignis, qui apud nos eſt, non habet proprium Animalium genus, quoniam nō habet propriam ignis formam, ita vt ignis, qui apud nos videtur, non ſit niſi forma alterius corporis, dũ ignitur, & inflammatur. hæc eſt ratio, qua dicebatur ab Auerroe ignem eum non dicere caloris actionem, quandoquidem non actua-

liter

liter agit, vt pote qui in propria materia est, quam actualem actionem dicit iste inferior: deffinitur enim, quod est exarsio, seu cumbustio, quæ actualem dicunt actionem, & iure optimo, quoniam in propria non est materia, sic etiam actio istius ignis non est in excesu, dum concurrit ad mixtionem, sicut debet esse necessario actio istius ignis inferioris: si enim destruatur, quòd non sit exarsio, destruitur etiam, quòd sit ignis, & hoc est, quòd opponitur glaciei, glacies enim actualem actionem frigoris dicit: est enim congelatio, & hæc est consequentia Aristotelis de Generatione, & Alexandri recitata ab Auerroe. & hæc, vti diximus, contingunt igni, quoniam non habet propriam formam, cum in aliena materia sit: cum enim in propria materia est habens propriam formam, forma in propriã materiam non agit, hinc non dicitur actualis exarsio, seu combustio, in aliam vero potest impeditus à cõtrarijs qualitatibus ad mediocritatem calefaciendo agere. euidens igitur iam esse potest Auerroem loqui de calore, qui ad mixtionem concurrit, non vero quòd ille ignis calorem naturalem, seu vitalem efficiat suo calore, immo manifeste contradicit, dum habet nullum mixtum calorem actualem ha-

bere præter viuentia, ac si dixisset, si enim actualiter ageret calor ille ignis, quòd scilicet non impediretur ab oppositis qualitatibus, destrueret. vitalia vero actualem habent calorem, quoniam non destruit ille, sed conseruat. quòd aũt dicunt differre actionem ignis, vt est directus à propria forma, ab ea, in qua est directus ab ipsa anima. aduertant tamen quòd etiam si principalis actio in naturalibus sit formæ, sicut tamen in artificialibus non opperatur artifex, nisi ordinatum instrumentum ad eam actionem habeat, ita nec etiam in naturalibus opperatur forma, ita vt quamquã sentire, & mouere sint animæ actiones, non sentit tamen nisi per propria instrumenta, neque mouet nisi per ea, sicut hoc contingit in arte, & sic dicebat Aristoteles præparari instrumenta pro inclinatione animæ, ita vt si anima debet concoquere, generare, aliasque similes reddere actiones, necessarium sit illi præparatum esse instrumentum, quod de sua natura non repugnet actionibus, sed potius, quo medio eas apte, commodeque efficere valeat. hoc autem aptum instrumevtum, nec ignis, nec igneus calor, vt dicebat Aristot., esse potest; quoniam de sua natura hic destruit. vnde suam naturam variare non potest, &

propte-

propterea neque esse aptum animæ instrumẽtũ. erit igitur aliud caloris genus, quod aptũ ipsius instrumentum erit. quòd enim non possit esse ignis, satis ex hoc etiam constat; quòd si excedat naturalis calor, & in igneum vertatur, non poterit ipso mediante anima digerere, proprijsque fungi muneribus; quoniam non est ille vtile instrumentum. cum tamen non sufficiat ad agendum qualitas, cum sit veluti instrumentum, sed necessarium sit principale agens, in Animalibus sicut apud Philosophos ponitur anima, ita in ijs, quæ spõte nascuntur, post quam à calore cœlesti tamquam ab instrumento proprio fieri hæc dixit Auerroes, ita etiam principale Agens artem illam diuinam intellectualem posuit, quæ similis est vni formę vnius artis principalis, sub qua sunt plures artes, ita vt certum sit non solum non contentum fuisse Auerroem principalis agentis distinctione, sed etiam distinxisse calorem instrumentalem, vt pote qui cognouerit non nisi adæquato instrumento posse agere principale agens. neque tamen dicimus hunc calorem non posse destrui à frigore, immo etiam ab extremo calore, quãdoquidem quæ sub ipso est materia, tum ad frigus, tum etiam ad extremum calorem in

potentia

potentia est. hoc tamen verum fatemur, quòd nõ affatim propriam formam, siue propriam speciem amittit. hinc est, quòd in febre aliqua fiat etiam actio. seruatur enim adhuc ipsius caloris formalis, siue Cœlestis formalitas.

Caput tertium, in quo concluditur natura caloris vini.

ORTIO igitur Cœlestis caloris in vino est, quæ enim ignea est caliditas ad mixtionem spectat; hæc autem præter mixtionem, vt supra vidimus, est, & sic præter mixtionem calidum vinum dicitur: hic enim calor quid præter mixtionẽ est; vnde à Galeno dicitur non concurrere ad temperamentum, considerato tamen temperamento, vt à quattuor elementis fit. nam caliditas illa concurrit, vt calefaciens, deinde ad constituendam temperiem viuentis, prout est viuens; est etiam apud ipsum substantia separata, sicut apud Aristotelem de longitudine, & breuitate vitę. tunc fieri mortem naturalem dicebat, cum hæc substantia caloris innati, siue calor innatus ex defectu pabuli deficit, neque tamen deficit calor elementalis continẽs

mixtionem. neque enim ipſa mixtio reſoluitur. corruptio enim animati, vt animatum eſt, eſt ſeparatio animæ à corpore, non vero putrefactio. hoc calore mandragora ſemperuiuum, & ſimilia, quamquam temperamento frigidiſſima, dum tamen vegetant, calida ſunt. omne enim viuens calore viuit. hoc igitur caloris genus participatur à vino, illi vero impertitum eſt tum à Sole, tum etiam à calore vitis. cum enim calidum vitis vitale ſit, communicat eam caloris ſpeciem, quam ipſa habet, vino, in quod agit, præcipue vero communicatur illi à Sole, vt pote qui tum per directam lineam, tum per reflexã ipſum percutiat, ita vt fiat à calore tũ vitis, tum ſolari, illa ſpecies caloris in vino; quæ extra mixtionem vini exiſtens ſe tenet ex parte formæ ipſius vini, caloris vero genus in vino extra mixtionem ab Ariſtotele meteo. quarto contex. 55. ſic deſcribitur. quęcumque igitur aquea vt plurimum frigida ſunt, niſi alienam habeant caliditatem, vt lixiuium, vrina, & vinum, & in com. Auerroes habet. & cernitur per naturam natura vincens. nam res compoſitæ ex aqua, ſunt frigidæ, niſi aduenerit illis calor extraneus extra naturam ſuam, ſicut calor, qui in vrina, & vino eſt: illud autem, quòd

extra naturam sit, intelligi debet, non prout ille calor respicit formam vini, nam sic est de ipsius natura, cum ipso destructo, destruatur etiam vinum, sed extra propriam naturam, respectu ipsius mixtionis, in qua ipsa aqua dominatur, ex quo etiam separata illa caliditate, non tamen dissoluitur illud mixtum, & mixti innata temperies resultans ex proportione elementorum ipsam componentiũ. agitur enim, vt supra dictum est, in quarto mete. de passionibus mixti, prout ex elementis componitur. nec tamen propter hoc concludo viuere vinum: non enim sufficit ad vitam iste calor, sed necesse est, vt corpus sit organizatum, ita vt sanguis, quamquam à spiritibus vitalibus concalefactus, vitali tamen illo calore non viuat, sic nec etiam semen, quamquã hoc calore repletũ. ab hoc igitur calore, si immoderate bibatur vinũ, omnia illa accidẽtia fieri diximus, cum calorẽ innatũ reuincat.

Caput quartum, in quo duæ proponuntur difficultates.



VPLEX autem hoc in loco videtur emergere difficultas, quomodo scilicet iste calor in vino non sit actualis, & quomodo tantum excedere valeat

vita-

vitalem nostrum calorem, vt ipsum reuincẽs destruat, vt supra vidimus. prima vero quæstio solui non potest, nisi quid potentialis calor sit, & quid actualis, cognouerimus, & hæc res plena difficultatibus est. neque enim facile cognitu est, quomodo calidum temperatum possit ad actum reducere calorem tanto ipso maiorem, vt ab ipso extinguatur. hoc autem, quoniam agens nõ agit, nisi secũdum qualitatis gradum, quem habet; & potentia per se ad actũ reduci nõ potest. ex quibus ego semper dubitaui, quomodo à calore fieret reductio temperamenti ad actum. addo præterea non esse facile intelligere, quomodo calor, qui in mixto est, potentialis sit, non actualis. quod .n. resultat ex actualibus, actuale est, & in mixtione calor resultat ex igne actualem calorẽ habente, vnde videtur sequi debere etiam esse calorẽ mixtionis actualẽ. addo præterea in mixto pugnam continuam elementorum, quæ dicit actualitatem contrariarum qualitatum: potentia enim, quod calidum est, non agit contra id, quod potentia frigidum est, fit enim primus actus, dum adepta iam scientia est, qui dicitur actus essendi; secundus autem actus est, dum secundum illam scientiam actu fit contemplatio, qui potest dici actus operatio-

rationis. vlterius tamen fiet dubitatio, quòd agentia naturalia ſemper agunt, niſi ſit impediens. dicimus igitur nos adeſſe impediens, quod ſi ab eis remoueatur, actualē promunt actionem, & ſic calor naturalis, non quòd actualem excitet calorem, eum ipſum gignit, ſed ipſius excitat actionem, quæ impediebatur ante, vnde autem impediatur, hoc nullus, quod ego ſciā, dixit. nā ſi calidū, verbi gratia piper eſt in tertio gradu, quę caliditas actualis eſt, ſclicet in actu, bone Deus, vnde fiet, quòd à manu ſentiatur frigus primo occurſu; quòd ſi eſt impediens frigiditas, iam iam frigiditas prædominatur, non caliditas: cum enim ex actualibus elementorum facultatibus actualiter exiſtentibus fiat qualitas mixti, vel hæc calida ſecundum exceſſum eſt, vel non, ſi calida, cum in omnibus illius mixti partibus calida ſit, cur non calefacit, ſed tangenti frigida potius apparet, cum tamen ſenſus ſit proprij ſenſibilis iuſtus iudex. in hac difficultate cum nec Galeni, nec aliorum Medicorū viderim determinationem, quid ſentiam, libere dixero. primo igitur certum eſſe debet, in omni mixto materialiter elementa frigida prædominari, ita vt in mixto maior ſit materia terræ, & aquæ, quam ſit ignis, &

aeris

aeris: ſic enim terra dicitur baſis mixtionis. præterea hoc etiam certum eſſe debet, elementa calida, ſicut ſunt magis actiua, ita etiam minus reſiſtere: contra vero frigida, ſicut ſunt minus actiua, ita ad reſiſtendum multo magis valida eſſe, & hoc, quoniam elementa calida magis de forma habent, frigida vero magis de materia. hoc igitur, quod eſt de natura elementorum, ſeruatur in mixto. cum ergo ex mixtione fiat per actiuitatem contrariarum qualitatum vna qualitas, quæ aut temperata eſt, ſi elementa proportionata ſunt, vel ſi improportionata, ſe tenet ex parte prædominātis, hæc qualitas reſultans debet deinde communicari toti maſſæ mixtionis, ſiue toti materiæ mixtionis, quæ deinde non poteſt hanc recipere ob reſiſtentiam terreæ materiæ, quæ ſuam tenaciter retinet frigiditatē. dico vero non poſſe communicari terreæ materiæ, nam etiam ſi reſultet ex tota mixtione temperata qualitas, non eſt, quòd non adſit actualiter ignis, qui calidus ſit, & actualiter tum terra, tum aqua, quæ propriam, innatamque, tum retineant frigiditatem. ſi igitur conſideretur ex parte actionis, poteſt prædominari caliditas, quę tamen propter materiam frigidorum elementorum, ſiue propter frigida elementa

materialiter prædominantia, quæ resistunt, non potest actualiter communicari materiæ mixtionis, quòd si reuincatur à calore actuali horum elementorum resistentia, tunc excitatur prædominans qualitas in mixtione actiua, prout qualitates ipsę in agendo adinuicé, quæ actio se tenet ex parte formæ, se contemperarunt, & non prout propter resistentiam materiæ non potest actualiter communicari toti mixto, quæ resistentia maior est in terra, & aqua, quam in alijs: si enim mundus debet esse in æquilibrio, debet esse tanto maior resistentia terræ resistentia ipsius ignis, quanto actiuitas ignis est maior actiuitate ipsius terræ, & ratio etiam est, quoniam quanto plus habet ignis de formalitate ipsa terra, tãto magis in eadem proportione habet terra de materia ipso igne. ex quo cum in maiori quantitate, vt dictum est, semper sit in mixto terra ipso igne, semper in resistendo vincit, vnde non est actualis calor in aliquo mixto; quòd si actualiter deberet esse, & reuincere, iam reuicta resistentia terræ, destrueret iam totum mixtum, vt supradictum est. dicamus igitur, eadem ratione, quòd calor, qui in vino est, etia à resistentia materię, supprimitur, ex quo actualiter non reuincit; sic enim in singula

viuentis parte esse calorem innatum nemini dubium est, cum tamen si ab influente non calescerent, frigidæ actualiter essent, ita vt ab Auerroe dicatur, illum habere rationem formæ respectu permanentis. secundæ difficultati non est difficile respondere. etiam si enim calor iste originem ducat à calore Cœlesti, vt noster innatus, cum vinum nō habuerit aliud calefaciens, non est tamē inconueniens, quòd ipsum possit excedere: calor enim Leonis, & Aquilæ excedit manifeste calorem ouis, & agni; addo præterea ex supradictis, nos non habere simpliciter excedere, sed solum dum in magna copia vinum assumitur. hic autem calor in aliqua materia segregata est à mixtione, vt diximus, cuius euidentissimum signum est, quoniam à calore segregatur, & sic frigescit vinum. si vero non esset in materia segregata, sed vt accidens proueniens à mixtione, à calore non frigesceret, quin destrueretur mixtum, quoniam non posset segregari basis caloris, nisi ipso destructo. quòd autem à calore segregatur, palam est, quoniam ex Sole acescit vinum, sic etiam vt supra à calore naturali frigescit. cum tamen, teste Auerroe, calidum innatum non habeat viam, qua refrigeret. ex quibus manifeste colligitur esse

in aliqua portione materiæ fundatum hunc calorem extra mixtionẽ, quæ ſegregari poteſt.

Caput quintum, in quo coucluditur natura aquæ vitæ, & ex ipſa proponuntur ipſius effectus.



ST hęc ſegregata ſubſtãtia ipſamet aqua vitæ, de qua, ſicut ego exiſtimo, nemo amplius dubitabit, cur calorem actualem non habeat: non enim hæc ſit difficultas de ſpiritu, & oleo chalcãthi, de oleo canellæ, & ſimilibus, quæ & ſegregata ſunt, & valde calida eſſe conſtat: neque enim poteſt tam exacte ſeparari, vt non adſit adhuc mixtio, & ſi hoc eſt, iam reſiſtentia adeſt. nil mirum igitur, quòd ſi impediat tantum caloris exceſſum, qui in ſupradictis eſt, quòd impediat etiam calorem Cœleſtem. addo, quòd iam aliquem gradum ipſius caloris actualis habet, ita vt impoſita aquæ quẽdam caloris gradum iam illi participet. quòd autem ſit adhuc mixtio in hac, quę communiter habetur, certũ ex ea eſt, quam deſtillabat Marcus Gallus Caroli Quinti Imperatoris Medicus, qui facta infuſione diuerſorum in aqua

vitæ

vitæ optima ſepties diſtillata, & circulata, adnuc eam diſtillabat, & tam lente, vt refert Cardanus ex Conrado Geſnero, vt inter guttam, & guttam intercederet tempus, quo quis poſſet decem vnitates enumerare, & hoc vt hanc ſubſtantiam omnimodo, quò ad fieri poſſet, ſegregaret, & ne à calore ignis tenuior portio deſtrueretur. hanc etiam remanentem mixtionem manifeſte indicat, quòd dum à Sole aceſcit vinum, ea amittitur ſubſtantia euaneſcens, vt diximus, quæ tamen ſenſum fugit: hinc aliqui, vt hanc euaporationem impediant, albumina Ouorum vino ſuperimponunt. hanc remanentem mixtionem ex hoc etiam cognoſcimus, quòd ſi aqua vitæ aperta remaneat, inſenſibiliter videmus trãſpirare calorem, remanereque in vaſe materiam. forſitan tamen illa Marci Galli, quamquam acredinem non haberet, cùm, vt infra, non ſit illi naturalis, habebat tamen calorem proprium veluti iam actualem, quamquam propter materię tenuitatem non valde imprimeret, hinc enim fit, quòd ſenſibilius ſentiatur caliditas, quæ in aqua vitæ eſt, ſi ipſa imponatur aquæ, quam ſi ſimplex ſit. propter hanc etiam materiæ tenuitatem fit, quòd hæc communis aqua vitæ, quamquam alienum

habeat calorem, proprium tamen multo facilius habeat ad actum reducibilem, quàm vinum, & propter eam materiæ segregationem iam factam multo magis de actualitate participiantem, & habentem. cum igitur sit hæc substãtia, fit, quòd ab aceto nihil omnino extrahi possit, vt pote quod eã amiserit, quamquam à vino, quòd feruescit, siue patiatur ebullitioné, aliqualis portio extrahatur: ex eo enim cum sit in feruere, nõ omnino totalis portio huius caloris euanuit: quod vero remanet post extractionem aquæ vitæ, non verum acetum est, quoniam ab illo ignis feruente calore, quo medio ipsa extrahitur, non solum deducitur hæc substantia caloris, sed etiam calor continens mixtum. ab eo vero extrahente calore nõ pauca participatur ei acrimonia, quam naturaliter non habet, hac de causa fit, quòd tempore eam amittat. sic cum vina, quæ vinosa sunt, plurimam habeãt formalitatem, plurimam etiam reddunt aquam vitæ; & cum hic calor formalis Cœlestis sit, iure optimo sequitur, quòd ex circulatione valde perficiatur ipsa aqua vitæ, immo etiam ex circulatione alienum amittit calorem, & per consequens acrimoniã. hæc vero substantia caloris non sine propria humiditate extrahi

hi poteſt: teſte enim Philoſopho ſemper calor proprium humidum ſecum trahit, hinc fit, quod aqua vitæ humida etiam ſit, humiditas vero propria caloris eſt digeſta humiditas, ſic etiam aqua vitæ digeſta humiditate repleta eſt. præterea in materia tenui exiſtit, quod iã ſupra probatũ eſt, & quò tenuior eſt, eò perfectior exiſtit: ſic enim ſpiritus quò tenuiores, eò perfectiores à Doctoribus nuncupãtur. tenuiſſima autem aquæ vitæ ſubſtantia præcipue redditur, ſi circuletur, propter hãc tenuitatem, digeſtamq; humiditatẽ fit, quòd facillime flammam concipiat, immo propter eandem humiditatem fit, quòd ſi permiſceatur aquæ, ea tum craſſior, tum alba reddatur, quæ duo indicant materiæ tenuitatem, & ipſius digeſtam, ſiue aeream humiditatem, ſic etiam caleſcit aqua propter ipſius aquæ vitæ caliditatem, quæ in craſſiori materia maior apparet. iam igitur quid præſtet, facile eſt ſcire, nam cruditates omnes digeret, eaſque diſſipabit; ſic enim dicebat Ariſtoteles ſupra citato problemate. an vinum ſicut cætera cõcoquit, ita ſeipſum diſſoluit, calore proprio viuificabit. ſic enim vinum ſupra vidimus reddere lætos homines, & eloquentes, & ad agendum promptos, ſic etiam dicitur vinum

lætificare corda hominum. corpus totũ tranſpirabile reddet, & manutenebit; à putredine vindicabit, & coctiones fouebit. ſudores prouocat, vrinas ciet humores liquando, & fundendo. opponetur tamen, quòd dixerimus vinum non mouere vrinas ſecundum furmalitatem, ſed ſecundum materiam, & etiam hoc confirmauimus, quoniam vina nigra, & muſtum calidiora non tamen mouent vrinas, & etiam per Galenum. non ergo poteſt aqua vitæ, vt pote quæ ſit deſtituta vini materia, cum ſit ſubſtantia caloris ſegregata, mouere vrinas. cui obiectioni reſpondentes dicimus, nos non negaſſe formali calore tum poſſe vinum vrinas fundere, immo aperte dicimus hoc poſſe efficere; verum quoniá hæc caliditas non mouet vrinas, niſi ſubſtantia moueatur ad venas, hinc dicebat Ariſtot. piper, ſi non aſſumatur in ea copia, vt moueatur ad venas, non prouocare vrinas, ſed potius aluum: contra vero ſcammoneam in pauca copia mouere vrinas, vt pote quæ in pauca copia feratur ad venas, hinc vina nigra, & muſtum non poſſunt vrinas mouere, quoniam propter craſſitiem non delabuntur ad venas, verum quoniam ſi ſubſtantia vini debet defferri ad eas, neceſſe eſt quòd tenuis, &

aquea

aquea ſit, & non craſſa, & terrea, quæ cum talis eſt, fluit ſua fluxione, & mouetur ad veſicam, hinc diximus non à formali calore, non negantes tamen ipſum poſſe fundere, ſed à materia purgare, vt pote quæ fluat sẽper, ſi vinũ poteſt formali calore ad vrinas mouẽdas concurrere. ſecundo etiam verum eſt, quòd vinum non eſt ex ſua formalitate verum illud diureticum, quod ſua caliditate, tam vehementer agat, vt non modo ſanguinẽ fundat, ſed etiam eundem poſtmodum cogat, & ab eo ſerum ſecernat, & faciat fluere, verum tamen eſt, quòd ipſa vini ſubſtantia fit vrina, & mouetur per vaſa diuretica ad veſicam, & ſic cum in libro de diæta dicta ſit illa ſententia, quam eò loci exponebamus, & in eo nõ ſupponatur corpus morboſum, ſcatens ſcilicet humiditate veluti congelata, qua fuſa poſſit vinum mouere vrinas ſuo calore, ſed quid præſtet de ſua natura, & in ſano, hinc bene diximus habere eũ vim purgandi à materia, quoniã ſcilicet eam habet ſemper de ſua natura in corpore quantumuis ab excrementis mundato, cum ſit ea, quæ fluit. ſemper igitur ac uinum urinas mouere debet, ſemper fluit, vnde ſic & Hippocrates de uictus ratione in morbis acutis de uino uinoſo ſermonẽ

ciens habet. et uino alio magis ad uesicã penetrat, urinas ꝓuocat, & perpetuo purgat vnde videmus, quòd & etiã ipsũ mouetur ad uesicam, ex quo diximus vinum calidũ, & siccũ esse, dum materia ipsius mouetur ad vrinas, quæ erat nostra intentio, & est natura vini eò loci descripta. & vrinas prouocat, & perpetuo purgat, quod etiam ab ipsius formalitate fieri potest: hoc enim loco supponitur corpus morbosum scatens excremẽtis, quod purgatione indigeat, vnde habetur. nempe, & si vino alio innhabilius ad cætera existat, verũ tamen, quæ in vesica ab eo fit purgatio, liberat, si propinetur, quale oportet. attendentes igitur, & quòd nonquam agit ad prouocandas vrinas caliditas, nisi materia fluat, & quòd nisi sint excrementa, caliditate non prouocat vrinas, cum tamen semper hoc efficiat propria materia, in corpore etiam sano, vt pote quæ ipsa fiat vrina, & propterea quòd in libro de diæta dixit, habet purgatorium quiddam à materia, eò loci dicebamus vinũ habere vim purgandi à materia; & quoniã ea, quæ sic purgant, frigida, & humida aquea sunt, cũ sua formalitate vinum non sit tale, propterea diximus esse eãdem purgationẽ vini respectu materiæ, quæ est aliorum respectu totius substantiæ,

ſtantiæ, cũ ſcilicet non habeant in ea caliditatẽ. aqua vitæ igitur, ſi aderũt extrementa, fundet, liquabit, & ſic vrinas prouocabit, ea illa ratione, qua dicebatur ab Hippocrate, dũ caput ebullit, plurimũ vrinæ emititur. & cũ ſudor, & vrina eiuſdẽ naturæ ſint, fiet etiã, quòd pro corporis diuerſitatę poſſit mouere tũ vrinas, tùm ſudores. id aũt, quod præcipuum illi eſt, calorẽ naturalẽ, humidũq; primigeneũ, ſi quod aliud medicamentũ eſt, reſtaurat, ſpirituſq; regenerat. ſic. n. & à Gal. dicebatur, cũ ſit caloris aptiſſimũ alimentũ, & ab Hippocrate odorifera vina magis alere. hinc quò ad fieri poteſt, vitã prorogat: in calore. n. & humido conſiſtit. hoc vſu huius aquæ vitæ propterea merito factũ eſt Marcũ Gallũ ad 124. annos ætatẽ produſiſſe, vt refferunt tũ vecherius, tũ Cardanus. & quod in vino nõ contingit, facilius in calidũ innatũ vertitur propter materię tenuitatẽ, quę facile reuincitur. ſic. n. dicebat Ariſtot. corpora facultatibus difficilius digeri. propter materiã craſsã fit, quòd vinũ difficilius digeratur à calore Capitis, immo potũ ipſum reuincat. vnde tum ex hoc, tũ etiã quòd ab ipſius vini materia non pauci eleuãtur ad caput vapores, vnde ebrij ſunt lachrymabondi, neq; .n. ſimplex calor aſcendit, fit,

quòd

quòd vinũ ſemper capiti ſit infenſum. aqua vero vitæ ob tenuitatem facile caput petens, aſq; hoc, quòd ad id vapores eleuet, niſi forſan ventriculus multa vaporabili ſcateret humiditate, ob eandẽ tenuitatem facile à calore eiuſdẽ capitis reuincitur, hinc ipſius calor reſtauratus viuificatur, propria concoquit excrementa, ſpiritus mirũ in modũ reſtaurãtur, omneſque inde actiones Animales perfectæ fiunt. fantaſmata à vaporoſa caligine mondificantur, hinc meliores fiunt diſcurſus. aquoſa exſiccatur humiditas, hinc perſæpe labens reſtauratur memoria. habet præterea aqua vitæ, quòd ſua tenuitate virtutẽ omnium, quæ in ipſa infundũtur, perfectiſſime recipiat. per eorũ n. ſubſtantiã longe, alteq; penetrans, fit, quòd omnẽ etiã in intimis partibus reconditã virtutẽ ſecũ rapiat, ita vt, docente Fernelio, primum locum inter ea, in quibus fit infuſio, teneat. præter iam dictos effectus vſu compertum eſt vulneribus mirum in modũ iuuare, præcipue vero capitis: vindicat. n. ea à putredine, excrementa craſſa concoquit, & digerit, tenuia aquoſa diſsipat, partiũq; radicalem humiditatẽ, & calorẽ refouens, cũ opus eſt, eorum etiã deperditã ſubſtantiã regenerat. ita vt vulnus quoddã capitis pro incurabili habitũ

omnium

omnium ſtupore vſus ipſius aquæ vitæ ad integram reduxerit ſanitatem, nec minus hoc præſtitit in vulnere pulmonis facto à pilla plumbea tormenti manualis. in morbis vero à cruditatibus mirabiles dictis rationibus apparuerunt effectus, quandoquidem ad integram reduxit valetudinem eos, qui à primarijs totius Italiæ Medicis non ſolum incurabilibus morbis laborare putabantur, ſed etiã certa ijs breui tempore mors prædicebatur. & vt concludam, quàm optime praxis ipſius naturę reſpondeat, dicit Valeriola libro ſuarum obſeruationum ſe vſum fuiſſe aqua vitæ ſpatio quadraginta annorum, & nunquam ab ea deceptum fuiſſe.

LAVS DEO.

AD LECTOREM.



DVERTAS benigne Lector Pagina 66. citari locum Gal. ſuper aphoriſmum, ſi vis cito alere, vtere liquidis. qui debet legi, facilius eſt impleri potu, quam cibis. in cuius com citat Gal. locum de alimento ſi vis cito alere &c. errata leuis momenti optimo tuo iudicio libenter remitto. interim à te ſummopere contendo, vt ſi quid, quod veritati haud conſonum tibi videatur, adinueniſti, me benigne admoneas; vt inde veritas, qua nihil pretioſius, clare eluceſcat. gratiſsimoque animo hoc tibi acceptum referam, vt pote qui adhuc iuuenis, veritatis adinuentionem mihi tanquam ſcopum propoſuerim, eòq; magis hoc à te peto, quoniã ea de re tractare agreſſus ſum ob iubentium auctoritatem, atque obſeruantiam, quæ accidentaliter à nonnullis, ex profeſſo vero à nemine, quod ſciam, pertractata fuit.



GENVÆ,

APVD IOSEPHVM PAVONEM.

MDCXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

